









32  
JO. GODOFREDI HARTUNGII D.  
SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-DARM-  
STADINI CONSILIAR. ET IN GIESSENSI  
ACAD. PROF. JURIS  
ORDIN.

DISSERTATIONES  
JURIS CIVILIS

7. 311  
TRES,  
QUIBUS  
MATERIA  
DE STATU FAMILIÆ,  
MATRIMONIALI  
ET  
TUTELARI,

ACCURATE PERTRACTATUR.  
POST  
AUCTORIS OBITUM  
IUNGTIM EVULGATA.




GIESSÆ, N. 2.  
Apud Eberh. Henr. Lammers, MDCCXXIX.



IO. GODOFREDI HARTUNGH.  
SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-DARM-  
STADINI CONSILIAR. ET IN GIESSENSI  
ACAD. PROF. JURIS  
ORDIN.

DISSERTATIONES  
IURIS CIVILIS

TRES  
QUIBUS  
MATERIA  
DE STATU FAMILIAE,  
MATRIMONIALI  
ET  
TUTELARI.



ACCURATE REPERTUR.  
1757  
ACUTORIS ORBITUM  
LONGINQUE

1757  
M.DCCXCV



Q. D. B. V.

CURSUS JURIS  
SEU  
JURISPRUDENTIÆ UNIVERSÆ  
IN ARTEM REDACTÆ  
EJUSDEMQUE  
PARTIS CIVILIS  
EXERCITATIO V.  
DE STATU FAMILIÆ

AUCTORE

JO. GODOFREDO HARTUNGIO. D.  
SERENISSIMI PRINCIPIS LANDGRAVII HASSO-  
DARMSTAD. CONSILIARIO, ET PROF.  
JURIS ORDIN.

POST

IPSIUS OBITUM  
PRIMUM EVULGATA.

---

GIESSÆ,

*Literis Johannis Mülleri.*



1752

CURSUS JURIS

SEU

JURISPRUDENTIAE UNIVERSAE  
IN ARTEM REDACTAE

EIUSDEMQUE

PARTIS CIVILIS

EXERCITATIO V.

DE STATU FAMILIAE

AUCTORE

IO. GODOFR. REDO HARTINGIO D.  
SERENISSIMI PRINCIPIS LANDGRAVISSIMO

DARMSTAD. CONSILIARIO, ET PROF.

JURIS ORDIN.

POST

1752

RAMON FROGATA

CIENSA

Licet Johannes Müller





## CAP. I.

DE

## STATV FAMILIAE IN GENERE.

1. *Familiae* uox refertur uel ad *res*, unde iudicium *familiae herciscundae* dicitur, uel ad *personas*. *l. 195. §. 1. de V. S.*

2. Quatenus ad *personas* refertur, quadrifariam accipitur, (1. *latissime*, (2. *late*, (3. *stricte*, (4. *strictissime*. *d. l. 195. §. 2. et sq. de V. S.*

3. *Latissime* accepta familia complectitur praeter eos, qui in potestate habent uel habere possunt, et eos, qui habentur, omnis generis cognatos, qui cum altero ab uno stipite descendunt. *d. l. 195. §. 4. de V. S. j. l. 196. pr. eod.*

4. *Late* accepta complectitur praeter eos, qui in potestate habent uel habere possunt, et eos, qui habentur, adgnatos tantum. *d. l. 195. §. 2. in f. et l. 196. pr. de V. S.*

5. *Stricte* accepta familia complectitur eos, qui habent uel habentur in potestate, siue *dominica*, siue *patria*. *d. l. 195. §. 3. j. d. pr.*

6. *Strictissime* accepta complectitur eos, qui habent uel habentur in potestate *patria*. *d. l. 195. §. 2. et l. 196. pr. de V. S.*

7. Quotupliciter *familia*, totupliciter *status familiae* accipitur.

8. Secundum statum familiae *latissime* accepturae personae sunt (1. *sui* uel *alieni* iuris: (2. *cognatae* aliis, uel *non cognatae*: (3. *uinculo matrimoniali constrictae* uel *liberae*.

9. Quae *sui iuris* personae sunt, illae (a) *aliis suo modo subiectae sunt*, puta pupilli, et qui perfectae aetatis non sunt, aut *alias* ob uitium *animi* uel *corporis* in cura sunt.

A

10. (β)

10. (β) *Alias personas suo modo sibi subiectas habent*, puta tutores, curatores, domini, patresfamilias, speciali sensu accepti pro iis, qui liberos habent in potestate.

11. (γ) *Neutro modo affectae sunt*, puta maiorenes sanae mentis et corporis, neque seruos neque liberos in potestate habentes.

12. *Quae alieni iuris personae sunt*, illae uel in potestate *dominica* sunt, puta serui, uel in *patria*, puta liberi.

13. *Cognatae personae uel consanguineae*, uel *affines*, et illae uel *adgnatae* uel *cognatae* sunt.

14. *Vinculo matrimoniali* (laxius dicto) *constrictae personae* sunt uel sponsus sponfaue, uel maritus uxorue, uel mas et concubina.

15. Secundum statum familiae *strictae* acceptum personae in eas, quae *sui* uel *alieni* iuris sunt, diuiduntur.

16. *Sui* iuris personae sunt, quae alias personas in potestate uel *dominica*, uel *patria*, habent.

17. *Alieni* iuris personae sunt, quae in potestate uel *dominica*, uel *patria*, habentur.

18. In potestate *patria* quae habentur personae, non impediuntur alias personas in diuersi generis potestate habere, ueluti in tutelari. *pr. J. qui testam. tut. dari poss. (a)*

19. Strictissima significatio status familiae est huius loci, quia peculiare status, *herilem*, *tutellarem*, *cognitionis*, et *matrimoniale*, superioribus fecimus, quos adhuc perspicuitatis causa retinemus.

CAP.

(a) Neque hoc supra in *pos. 10. b. Cap.* negatum fuit, cum unus rei positio non sit alterius exclusio.

## CAP. II.

DE

STATV FAMILIAE STRICTIS-  
SIME DICTO.

1. In statu familiae strictissime dicto sunt, qui habent uel habentur in potestate patria. *T. J. et C. DE PATRIA POTESTATE. l. 9. VIII. 47.*

2. Habentur in potestate patria liberi, non omnes, sed qui uel ex iustis nuptiis procreati, uel ad eum effectum legitimati, uel ad eundem adoptati sunt. *pr. J. d. t. §. ult. J. de nupt. pr. J. de adopt.*

3. Habent in potestate patria parentes, non omnes, sed qui sunt masculi generis, et lineae paternae, licet remotioris gradus, uel non natura, sed iure Ciuili per adoptionem parentes sint. *§. 3. J. de patr. pot. §. 11. J. de adopt.*

4. Nisi quod auus quoque uel proauus maternus nepotem uel pronepotem ex filia uel nepte adoptare, eoque redigere eundem in suam potestatem potest. *§. 2. J. de adopt.*

5. Circa ipsam patriam potestatem considerandi (1) modi, quibus illa constituitur, (2) effectus, qui ex eius constitutione resultant: (3) modi, quibus eadem soluitur.

6. Quibus addendae actiones, quae ex statu familiae competunt.

## CAP. III.

DE

MODIS QUIBVS PATRIA PO-  
TESTAS CONSTITVITVR.

1. Patria potestas constituitur (1. procreatione ex iustis nuptiis: (2. legitimatione: (3. adoptione.

A 2

2. Pri-

2. Priores duo modi ratione originis mixti generis sunt, partim naturalis puta, partim civilis iuris: postremus solo iure civili introductus est.

3. Additur quartus modus *ingratitude*, sed qua liberi magis restituuntur in patriam potestatem, quam in ea constituuntur, sic ut nunquam emancipati esse intelligantur. *T. C. DE INGRATIS LIBERIS. VIII. 50.*

4. Ingratitudo accipienda est ea, quae resultat ex iniuria (1. *atroci*, quam iudex aestimat: (2. *immediata*, puta patri ipsi immediate illata, siue de caetero verbalis, siue realis sit. *Ill. Dn. à BERGER Oec. Jur. p. 93.*

#### CAP. IV.

DE

### PROCREATIONE EX IVSTIS NVPTIIS.

1. *Procreatio ex iustis nuptiis* accipienda, qua liberi nascuntur ex matrimonio legitimo, id est, secundum leges, etiam civiles, contracto. §. 12. *J. de nupt.*

2. Legitimum matrimonium quomodo secundum leges contrahatur, dicetur inferius, cum de statu matrimoniali agetur.

3. Nascuntur liberi ex legitimo matrimonio, qui vel *in matrimonio*, uel *post matrimonium*, iusto tempore nascuntur.

4. Quod alii obscurioribus uocabulis terminorum *a quo* et *ad quem*, quos uel ipsimet confundunt, explicant. v. *LAVTERB. C. 7. p. 15.*

5. Iusto tempore nascuntur *in matrimonio* liberi (a. *J. Pandectarum*, qui VII. post nuptias mensē, quocunque eius die, nascuntur. *l. 12. de statu hom. l. 3. §. ult. de suis et legit. hered. CARPZOV. Jur. Confist. L. 2. D. 224.*

6. Adeo,

CAP. IV. DE PROCREAT. EX IUSTIS NVPTIIS. 5

6. Adeo, ut nec parentes poena anticipati concubitus affici, imo nec iuramento purgatorio onerari regulariter possint. *a. l. 51. pro soc. B. MENCK. ad D. p. 11.*

7. Qui VI. uel V. mensum concedunt, aut conceptis uerbis de immaturo partu loquuntur, aut de eo accipiendi, et ad eum restringendi sunt. *v. CARPZ. d. L. 3. D. 227. et L. 5. R. 111. n. 20. seqq. STRYK. U. M. ff. T. de his, qui sui uel al. §. 14.*

8. (*β. Jure Codicis*, post nuptias quouis tempore. *l. 11. C. de nat. lib.*

9. Quod sic accipiendum, ut poena anticipati concubitus in parentibus non cesset.

10. *J. Sax. El.* etiam ex publicis sponsalibus procreati liberi legitimi sunt, salua rat. parentum poena anticipati concubitus. *Dec. El. 49.*

11. *Post matrimonium* nascuntur iusto tempore liberi, qui intra X. menses ab obitu patris, uel etiam principio XI. mensis nascuntur. *Nov. 39. c. 2. CARPZOV. d. L. 2. D. 225. n. 10. et seqq.*

12. Quod cum eodem in matre effectu accipiendum, ut nec haec se purgare regulariter iureiurando à suspitione stupri, uel eius poenam sustinere debeat.

13. Qui sic nati ex legitimo matrimonio liberi, sunt (1. *legitimi*: (2. *in potestate patris aut alterius adscendentis paterni*, idque uel *uere*, uel *quasi*, seu quod ad effectum.

14. Quod ad *primus*, illud adeo uerum est, ut nec confessio matris, etiam de adulterio suspectae, hunc uel illum partum adulterinum esse, legitimis liberorum natalibus officiat. *l. 29. §. 1. de probat. l. 11. §. 9. ad L. Jul. de adult.*

15. Modo matrem constat cum marito ita uixisse

et coiffse, ut aequè ex eo, ac ex adultero, concipere poterit. *a. l. 9. C. de nupt.*

16. Quod ad *posterius*, nascuntur liberi (1. *uere* (α. in potestate *patris*, quando is tempore conceptionis sui iuris fuit. §. 9. *J. Quib. mod. j. p. p. solu. j. pr. J. de patr. potest.*

17. (β. In potestate *aui* uel *proaui paterni*, quando pater tempore conceptionis in potestate illius fuit. *d. §. 9. j. §. 3. J. de patr. pot.*

18. Nam qui ipse in potestate est, ille alium in eiusdem generis potestate habere non potest. *l. 21. ad L. Jul. de adult.*

19. Modo non auus uel proauus post conceptionem nepotis uel pronepotis, ante eius natiuitatem, mortuus fuerit, alias similiter filius in potestate patris, succedentis in locum aui uel proaui, nascitur. *a. pr. J. quib. mod. j. p. p. solu.*

20. (2. *Quasi*, seu quod ad effectum, in potestate patris uel aui, aut proaui, quando nascuntur (α. *post mortem* eius, in cuius potestate fuissent, si eo uiuo nati fuissent. §. 2. *in f. de hered. quae ab intest.*

21. (β. *Sui iuris*, sic ut nemo alius defuncti locum subintrauerit, ueluti pater locum aui, qui adhuc tum, cum nepos conciperetur, uixit, filiumque patrem in potestate habuit. §. 8. *J. eod. j. pr. J. quib. m. j. p. p. f.*

22. Effectus consistit in eo, quod is, qui quasi in potestate natus est, omnibus iuribus in successione hereditaria eius, in cuius potestate natus fuisset, ceu suus heres fruatur. §. 1. *J. de exhered. lib.*

23. Mater liberos in potestate non habet, nec naturales, nec adoptiuos, item nec auia, nec proauia, seu paterna, seu materna, unde etiam *patria*, non *matria* potestas appellatur.

24. Quod

24. Quod nec *§. hodierno* aliter se habet, nisi quod (α. circa nuptias liberorum matres uel auiae, et sic deinceps, hodie etiam suo modo consentire debent, de quo inferius.

25. (β. In Saxonia Ducali matres, quando simul liberorum suorum tutrices sunt, moribus usumfructum bonorum paternorum habent, usque dum liberi ab ipsis separantur. SCHILT. *Ex. ad II. 3. §. 11. j.* CARPZ. *L. 6. R. 70.*

## CAP. V.

DE

## LEGITIMATIONE.

1. *Legitimitio* duplicis generis est, altera liberos non modo legitimos reddit, uerum etiam in patria potestate constituit, quae plena, altera eos tantum natalibus restituit, quae minus plena dici potest.

2. In genere legitimitio procedit tribus modis, per subsequens matrimonium, per oblationem curiae et per rescriptum Principis. *T. C. DE NATURALIBVS LIBERIS, ET MATRIBVS EORVM, ET EX QVIBVS CAUSIS IYSTI EFFICIENTVR. V. 27.*

3. Per subsequens matrimonium ut legitimitio procedat, requiritur (1. ut ea, quae in matrimonium ducitur, sit concubina. *Nov. 89. c. 8.*

4. Hodie etiam scortum, uel quaecunque alia, quacum illegitimus concubitus factus, nisi quid aliud obstat, in matrimonium duci, et per id liberi ante geniti legitimari possunt, etiam ad effectum constituendae patriae potestatis. *HOPP. ad §. 13. j. de nupt. in U. H. p. 101.*

5. (2. Ut de mutata affectione concubinaria in matrimonialem constet per instrumenta nuptialia seu dotalia, qui

qui unicus modus declarandae mutationis apud Romanos erat. *d. Nou. 89. c. 8. §. 13. J. de nupt. BEYER. ad D. t. de his, qui sui uel al. §. 19. n. 1.*

6. *Hodie* instrumentis dotalibus opus non est, cum de uoluntate matrimonium ineundi, nuptiisque ipsis celebratis ex calendariis ecclesiasticis, de copulatione sacerdotali et id genus aliis testantibus, abunde constet. *BEYER d. l. ibique alleg. HOPP.*

7. (3. Vt utraque persona ad matrimonium habens sit ( $\alpha$ . tam ratione facultatis moralis, ut non prohibeantur matrimonio coniungi, quam ratione facultatis naturalis, ut non impediatur coniuges fieri.

8. ( $\beta$ . Tam tempore eo, quo matrimonium subsequitur, quam tempore conceptionis liberorum illegitimorum.

9. Ratio posterioris ampliacionis est, quod fundamentum legitimacionis per subsequens matrimonium in fictione iuris situm est, et retrotractione matrimonii subsequentis ad tempus conceptionis, quo initum esse fingitur, fictio autem et retrotractio supponit possibilitatem. *SCHILT. Ex. 36. §. 131.*

10. Hoc requisitum *hodie* quod ad primam, non quod ad secundam ampliacionem, obseruatur, ut v. c. matrimonium non permittatur in gradu prohibito, uel inter personas, quae post illegitimos amplexus inhabiles ad coeundum factae sunt. v. *SCHILT. d. l. §. 132.*

11. (4. Vt liberi naturales in matrimonium, seu potius in legitimacionem sui per illud, consentiant. *Nou. 89. c. 11.*

12. Quod requisitum *hodie* cessare uidetur in fauorem parentum, quos simul honor legitimorum natalium liberorum et illegitimorum macula contingit, itemque in fauorem matrimonii, cuius causa multa passim moribus



bus contra iuris rationem inducta sunt. BRVNNEM. ad l. ult. D. de his, qui sui uel al. iur.

13. Vt tamen omnino liberi naturales dissentientes per subsequens matrimonium non aliter, quam minus plene, legitimentur, id est, non redigantur in patriam potestatem, et consequenter destituantur illis iuribus, quae à patria potestate dependent, ut iure suitatis. v. BRVNNEM. d. l. in f.

14. Quod et ipsum J. Romano aduersum esse, quippe quo dissentientes liberi ne quidem minus plene legitimentur, puto per d. Nou. 89. c. 11. §. 1. ibi: *aliis in iure naturali manentibus.*

15. Concurrentibus omnibus requisitis, (α. ualidum est matrimonium, quod subsequitur, etiamsi persona altera ex futuris coniugibus uel utraque morbo decumbat, uel in agone constituta sit. LAVTERB. *diff. de legit. per subs. matr.* §. 20.

16. Modo integrae mentis sint, ut consensum praestare possint. a. l. 30. de R. J. ID. d. l.

17. (β. Liberi per tale matrimonium subsequens plene legitimentur, ut idem plane iuris consequantur, quod habent liberi ex iustis nuptiis procreati. l. 10. C. de nat. lib. Nou. 74. pr. Nou. 84. c. 8.

18. Vnde à collegiis opificum excludendi non sunt. CARPZ. 2. 6. 12.

19. Etiam si in statutis ipsorum dispositum sit, ne quis alius recipiatur, quam qui sit voll und wohlbürtig. MEV. P. 3. D. 87. CARPZ. L. 2. D. 236.

20. Accipiunt item testimonium natalitium, Geburts- & Brieffe / quod ex legitimo thoro, et honestis parentibus nati sint. CARPZ. 2. 6. 15.

21. Nec à dignitatibus arcendi sunt. a. l. 2. C. de dignit. HAHN. ad Wes. T. de his, qui sui uel al. n. II. HOPP. ad §. 13. J. de nupt. ad uerba: *in potestate patris.*

B

22. Con-

22. Consequuntur patris dignitatem, CARPZ. L. 2. D. 17. n. 13. 14.

23. Succedunt parentibus cum reliquis legitime natis, speciatimque patri tanquam sui heredes, cognatis tanquam legitimi. d. Nov. 74. pr. Nov. 89. c. 8.

24. Imo et nepos ex filii naturalis nuptiis iustis procreatus succedit auo cum patruis, quando hic siue uiuo filio naturali, siue post mortem eius, concubinam in matrimonium duxit. SCHILT. Ex. 3. §. 13. 15.

25. Quod secus, si et ipse nepos naturalis est. ID. d. §. 15. in f.

26. Idem effectus subsequenter matrimonii hodie est, licet quaedam requisita deficiant, uel certe minus plenus, seu simplicis legitimationis, secundum ea, quae dicta sunt §. 13. b. Cap.

27. Per oblationem curiae legitimatio procedit, quando uel filius naturalis à patre curiae, id est, collegio decurionum in municipiis, offertur, uel ipse se filius offert, uel filia naturalis curiali in matrimonium datur. Nov. 89. c. 2.

28. Hic modus legitimandi conspirantibus omnium sententiis hodie cessat, quia ratio legis cessat, quae illum modum introduxit.

29. Quae ratio legis consistit in eo, quod officia curiae in municipiis Romanis, quia admodum molesta erant, solebant defugi et declinari. BRISSON. Antiqu. J. Civil. l. 4. c. 13.

30. Sunt tamen qui putant, hodieque si illegitimus ordini senatorio admouetur, et à Principe confirmetur, eundem non posse non pro legitimo haberi.

31. Verum hic legitimandi modus rectius ad tertium genus legitimationis, quae per rescriptum fit, refertur, ita ut princeps eodem rescripto, quo in illegitimum

di-

dignitatem senatoriam contulit, cum tacite natalibus restituisse intelligatur. HOPP. *ad §. 13. J. de nupt. p. 102.*

32. Idem censendum de illegitimo, qui se aulae offert, ut similiter Princeps eum inter aulicos recipiendo tacite legitimasse intelligatur.

33. Communiter à JCTis Catholicae religioni additis traditur, in locum oblationis curiae successisse oblationem curiae coelesti seu monasterio factam, sed quam parum commode, ostendit STRYK. *U. M. II. t. de his, qui sui. §. 19.*

34. Per *rescriptum Principis* procedit legitimatio, quando (1. liberi, qui rescripto Principis pro legitimis declarantur, naturales sunt, id est, ex concubina suscepti. *Nov. 89. c. 9.*

35. Quod requisitum omnibus generibus legitimatōnis commune est, et *hodie* sine dubio cessat, secundum ea, quae iam dicta §. 4. *b. C.* STRYK. *d. l. §. 15.*

36. (2. Liberi in legitimatōnem consentiunt. *d. Nov. 89. c. 11.*

37. Quod requisitum similiter generale est, sed in hoc genere legitimatōnis, in quo fauor matrimonii cessat, hodieque obseruandum.

38. (3. Concubina in matrimonium duci non potest, siue ob naturale impedimentum, eoquod illa v. c. mortua est, siue ob morale, eoquod duci legibus prohibetur. *d. Nov. 89. c. 9.*

39. Quod requisitum *hodie* non magis, quam primum, attenditur. STRAVCH. *Diff. Just. 4. §. 12. ibique Dn. THOMAS. in not.*

40. (4. Liberi legitimi non extant. *d. Nov. 89. c. 9.*

41. Quod requisitum similiter *hodie* negligitur, modo (a. pater legitimatos liberos una cum legitime natis sibi succedere uelit, et liberis legitime natis in legitima non

praeiudicetur. *d. l. 32. C. de inoff. test.* STRYK. *U. M. n. d. t. §. 16.*

42. (β. Legitimatio per rescriptum uiuo patre fiat, quia liberis legitime natis, à momento mortis patris, ius in ipsius hereditate quaeritur.

43. Vnde liberi illegitimi, qui post mortem patris rescriptum impetrant, legitimi quidem fiunt, sed cum legitime natis patri tanquam legitimi non succedunt. HAHN. *ad W. T. de his, qui sui, n. III. ad uoces: per diploma principis.*

44. Nisi pater eos in testamento legitimos fieri per rescriptum Principis, et sibi legitimos successores esse uouerit. *d. Nou. 89. c. 10.*

45. (γ. Ipse pater libellum Principi offert, et liberos suos naturales legitimari petit. *d. Nou. 89. c. 9. §. 1.*

46. Quod requisitum hodie etiam cessat, sufficitque, liberos rescriptum consentiente patre impetrare, ad hunc effectum, ut in patria constituantur potestate, et patri cum liberis legitime natis succedant.

47. Extra quem effectum ne quidem consensus patris opus est, adeo ut post mortem quoque eius rescriptum impetrari possit. HOPP. *ad §. 13. J. de nupt. U. H. p. 105.*

48. Hoc amplius hodie rescriptum seu diploma uel immediate à Principe, uel mediate à comite palatino impetrari potest.

49. Modo comes palatinus potestatem legitimandi liberos illegitimos, seu id genus illegitimorum, cuius est is, qui legitimandus, habeat, cuius proinde comitum, quae uocatur, tenor cognitus probe esse debet. v. STRYK. *U. M. n. d. t. §. 15.*

50. Per Principem intelligendus in Germania non solum Imperator, sed et quilibet dominus territorialis, salua

salua effectus differentia, qui in legitimatione ab Imperatore facta per uniuersum Imperium, à domino territoriali facta per territorium extenditur. STRYK. *d. l. §. 14.*

51. Concurrentibus omnibus requisitis per rescriptum Principis legitimati idem iuris consequuntur, quod legitimati per subsequens matrimonium, de quo §. 17. *sqq. b. Cap.* dictum.

52. *Hodie* legitimatio per rescriptum Principis, etiam uno uel altero requisito deficiente, procedit, et quidem uel pleno cum effectum, uel cum minus pleno, secundum ea, quae modo dicta sunt.

53. Additur à nonnullis *quartus* modus legitimationis, *nominatio filii* sine additamento naturalis, à patre in testamento uel alio instrumento facta. *Nov. 117. c. 2.*

54. Verum per hanc nominationem filium naturalem non legitimari, sed legitimum esse, eiusque matrem à patre non pro concubina, sed pro legitima uxore habitam praesumi, ex ipso textu constat.

55. Quod *hodieque* usum habet (licet ubiuis fere ad legitima natalia copula sacerdotalis requiratur) ut quis ex legitimo matrimonio natus praesumatur, donec contrarium probetur.

## CAP. VI.

DE

## ADOPTIONE.

1. *Adoptio* in genere est actus legitimus, quo persona extranea, id est, quae in potestate adoptantis non est, in locum filii uel filiae, nepotis uel neptis, et sic deinceps, recipitur. *pr. §. 1. et 6. J. et t. T. J. et C. DE ADOPTIONIBVS. l. 11. VIII. 48. T. D. DE ADOPTIONIBVS, et emancipationibus, & aliis modis, quibus potestas soluitur. l. 7.*

2. Actus legitimus in speciali sensu accipiendus est

B 3

pro

pro eo, qui certa solennitate fit in iure, id est in loco iudicii, inter praesentes et consentientes. v. GOTHOFR. et DD. ad l. 77. de R. J. l. 25. §. 1. et l. 4. de adopt.

3. Vbi tamen obseruandum, adoptionem non iure factam à Principe confirmari, et per id uitium tolli posse. l. 38. de adopt. STRYK. U. M. II. T. de adopt. §. 7. ubi praej.

4. In specie circa adoptionem consideranda (1. species ipsius: (2. personae, inter quas celebratur: (3. effectus, habito inprimis ad patriam potestatem respectu: (4. affinia.

5. Quod ad species adoptionis attinet, ea duplex est: una speciale arrogationis nomen adepta est, altera generale adoptionis nomen retinuit. l. 1. §. 1. de adopt.

6. Arrogatio uocatur, quando (1. persona sui iuris (2. Principis rescripto adoptatur. l. 2. pr. eod.

7. Quod sic accipiendum, ut impetratum a Principe rescriptum apud magistratum insinuari, et coram eo adrogatio ipsa fieri debeat. a. l. pen. C. de emancipat. j. l. 1. §. 1. de adopt.

8. Hoc amplius, quando impubes arrogatur, requiritur (1. causae cognitio, quae in arrogatione puberis aut nulla, aut non tanta, aut non semper, sed tantum in casibus specialiter expressis, requiritur. §. 3. J. de adopt. l. 15. §. 2. l. 17. §. 2. eod.

9. (2) Cautio de restituendis bonis pupilli, si intra pubertatem decesserit, iis, qui ei ab intestato successissent, si arrogatio facta non fuisset. d. §. 3. J. de adopt.

10. Adoptio in specie uocatur, quando (a) persona in potestate alterius constituta seu filiusfamilias (b) impetrio magistratus adoptatur. d. l. 1. §. 1. de adopt.

11. Magistratus accipiendus non quilibet, sed ille, cui specialiter hoc concessum uel praescriptione acquisitum,

tum, ut adoptio coram ipso fieri possit. *l. 4. de adopt. l. 1. de officio Juridici. j. l. 6. C. de emancip. lib.*

12. Adoptio in specie dicta à quibusdam in *plenam* et *minus plenam* subdividitur, ab effectu constituentis patriae potestatis, de quo mox suo loco.

13. Species adoptionis *hodieque* distinctae sunt, nec ad arrogationem auctoritas magistratus sufficit. HOPP. ad §. 1. *J. de adopt. U. H. Diss. SCHILT. Ex. 3. §. 16. BRVN-NEM. ad W. t. de adopt. qu. 13.*

14. Licet (α. quod ad arrogationem, non praecise hodie Imperatoris rescripto opus sit, sed domini territorialis rescriptum et auctoritas intra territorium sufficiat:

15. Nec immediatum Imperatoris rescriptum requiratur, sed Comes etiam Palatinus auctoritatem suam interponere possit, si modo ius ac potestatem arrogationes confirmandi specialiter sibi concessam habeat. HOPP. *d. l.*

16. (β. Quod ad adoptionem in specie dictam, ea hodie coram quolibet magistratu, etiam inferiore, fieri possit, qui ordinariam iurisdictionem habet, licet ratione personarum, seu adoptantis, seu adoptandi, incompetens sit. HOPP. *d. l.*

17. Quod ad personas, inter quas adoptio celebratur, obseruandum, requiri (γ. consensum (α. utriusque, tam eius, qui adoptat, quam eius, qui adoptatur. *l. 2. et 5. de adopt.*

18. Sic tamen, ut in arrogatione expresso consensu opus sit, in adoptione in specie dicta tacitus sufficiat. *ad. ll.*

19. (δ. Aliorum, (α) in arrogatione, tutorum et curatorum, si quos pupillus habet. *l. 8. de adopt. l. ult. C. de auct. praest.*

20. (β) In adoptione in specie dicta eius, in cuius potestate est is, qui adoptatur, itemque eius, in cuius potestate

testatem recidere potest is, qui adoptatur, mortuo adoptante, puta filii in calu, quo pater ipsius nepotem sibi quasi ex eo filio adoptare cupit. §. 7. *J. et l. 5. D. de adopt.*

21. (2. *Aetatem legitimam* eius, qui adoptare uult, ut (α. non sit minor 60. annis, hoc effectu, ut si minor sit, causae cognitione opus sit. *l. 15 §. 2. l. 17. §. 2. de adopt.*

22. (β. Eum, quem adoptare uult, plena pubertate, id est, integris 18. annis, uel si foemina est, quae adoptare uult, 14. annis praecedat. §. 4. *j. §. 10. J. de adopt.*

23. (3. *Capacitatem generandi*, ut quis ad procreandos sibi liberos non plane inidoneus sit. §. 9. *J. et l. 40. §. 1. D. de adopt.*

24. (4. *Sexum masculinum* in eo, qui adoptare uult, ut tamen et feminae, quae liberos habuerunt, eosdemque amiserunt, ueniam adoptandi à Principe impetrare possint. §. 10. *J. et l. 5. C. eod.*

25. (5. Ut nec aliam ob causam quis adoptare uel adoptari (α) *impediatur*, ut surdus et mutus, furiosus, *a. l. 10. C. qui test. fac. poss. l. 2. §. 1. j. l. 9. de adopt.*

26. (β) *Prohibeatur*, ut seruus a domino, licet id commodi seruus ex adoptione consequatur, ut liber fiat. §. 12. *J. de adopt.*

27. Item is ab eo, a quo iam semel adoptatus, et postea emancipatus fuit, itemque pupillus uel minor à tutore uel curatore durante tutela uel cura, uel finita ea ante redditas rationes. *l. 37. §. 1. l. 17. pr. de adopt.*

28. Quod posterius utrumque eo tantum accipiendum, ut sine causae cognitione adoptio non permitenda sit.

29. Cuius generis et illud est, quod adoptari non debent plures ab uno, nec plures uel unus ab eo, qui naturales liberos habet, nec ditior à pauperiori. *l. 17. §. 3. et 4. de adopt.*



30. Sub hisce requisitis licet adoptare (α. non solum in locum filii uel filiae, sed etiam in locum nepotis uel neptis, pronepotis uel proneptis, et sic deinceps, quamuis filium quis uel nepotem non habeat. §. 5. *J. de adopt.*

31. (β. Tam filium alienum in locum nepotis, quam nepotem in locum filii. §. 6. *J. eod.*

32. (γ. Nepotem uel pronepotem uel quasi ex filio aut nepote, quem quis naturalem uel adoptiuum habet, uel quasi ex incerto filio uel nepote. §. 7. *J. de adopt. l. 37. D. eod.*

33. Modo (1. si quis quaeue aliquem in locum nepotis uel pronepotis adoptare uult, is eaeue eundem duplicato numero 18. uel 14. annorum antecedit. a. §. 4. *J. de adopt.*

34. (2. Si filius uel nepos, ex quo quasi aliquis in locum nepotis uel pronepotis adoptandus, in potestate patris uel aui adoptantis existat, idem ille in adoptionem nepotis uel pronepotis consentiat. d. §. 7. *J. de adopt. j. pos. 29. h. Cap.*

35. Quod ad effectum adoptionis, (1. *J. Rom. ueteri* quaeuis adoptio operata est patriam potestatem, sic ut si filiusfamilias adoptatus fuit, ille indistincte ex potestate patris uel aui naturalis in potestatem patris uel aui, et sic deinceps, adoptiui transierit. §. 13. 14. *J. de hered. quae ab intest.*

36. (2. *J. Rom. nouo* (α. *arrogatio* indistincte operatur patriam potestatem, adeo ut arrogatus una cum liberis suis, quos in potestate habet, in potestatem patris uel aui adoptiui transeat. §. 11. *J. et l. 15. D. de adopt.*

37. (β. *Adoptio in specie dicta* operatur patriam potestatem tunc demum, quando ab auo uel proauo materno, uel si is, qui adoptatus, in potestate patris sui et hic sui iuris fuit, etiam ab auo uel proauo paterno, facta est. §. 2. *J. de adopt.*

C

38. Quod

38. Quod si ab extraneo, id est ab eo, qui extra familiam late dictam est, adoptio facta, operatur non nisi ius succedendi ab intestato. *d. §. 2.*

39. Hoc amplius arrogatus uel ab adscendente adoptatus consequitur omnia iura, quae filius uel nepos naturalis habet, respectu sc. patris et adgnatorum, non matris et cognatorum. *l. 23. de adopt.*

40. Speciatim consequitur (1. dignitatem, *l. 13. de adopt.* (2. alimenta, *l. 45. eod.* (3. ius familiae, id est, ius adgnationis et fuitatis. *l. 10. pr. et §. 1. et 5. C. eod.*

41. Dignitas tamen restringenda est ad eam, quae non in specie sanguini tribuitur, et consequenter hodie non pertingit ad nobilitatem, quidquid de ea ex J. Rom. dicendum uideatur. STRYK. *U. M. II. 2. de adopt.* §. 8.

42. Contra ab extraneo adoptatus praeter ius succedendi ab intestato consequitur alimenta, et in potestate patris naturalis remanet, omniaque eius iura retinet. *d. l. 45. j. §. 2. j. de adopt.*

43. Arrogator quoque ex aduerso uel adoptator adscendens eadem iura et commoda consequitur, quae habet pater uel auus aut proauus naturalis. *d. §. 2. j. §. 2. 3. j. de acquis. per arrog.*

44. Adoptator extraneus contra nihil iuris uel commodi habet, ne quidem ius succedendi ab intestato. *d. §. 2. j. de adopt.* RICHT. *de succ. ab intest.* S. 2. M. 2. n. 2. ubi praef.

45. Affinia adoptionis sunt (1. simplex educatio pupilli gratis facta, uel alterius hominis pauperis alimentatio, quae hodie crebrius contingit, quam adoptio. STRYK. *U. M. II. 2. de adopt.* §. 4. ubi praef. Conf. Dn. LEYSER *Medit. ad II. Spec.* 20.

46. (2. Unio prolium, die Einkindschaft / qua liberi diuersi matrimonii inter se à parentibus in iure ipsis succedendi exaequantur.

47. Di-

47. Dicitur communiter unio prolium moribus hodiernis in locum adoptionis successisse, sed quae reuera, in partibus minimum Germaniae septentrionalibus, ipsa adoptione rarior est. STRYK. *U. M. II. T. de adopt. §. 9.* SCHILT. *Ex. 3. §. 16.*

48. Requiritur ad unionem prolium regulariter (1. ut ad eundem modum, quo adoptio, coram magistratu suscipiatur, unde à quibusdam per actum legitimum definitur. STRYK. *d. l. §. 12. et de S. A. §. Diff. 8. c. 6. §. 8.* CARPZ. *L. 5. R. 6. n. 15. 16.*

49. (2. Consensus, tam parentum, qui uniunt, quam liberorum, qui uniuntur, eorundemque proximorum cognatorum et tutorum uel curatorum. STRYK. *d. Diff. d. l. §. 7.* CARPZ. *d. l. n. 17--19.*

50. (3. *Causae cognitio*, an liberis unio expediat, nec ne. STRYK. *d. l. §. 10.* CARPZ. *d. l. n. 20.* SCHILT. *Ex. 3. §. 18.*

51. (4. Confirmatio magistratus per decretum. STRYK. *d. l. §. 11.* CARPZ. *d. l. n. 22.*

52. (5. Ut in scripturam redigatur, et in archiuum publicum referatur. STRYK. *d. l. §. 12.* CARPZ. *d. l. n. 23.*

53. Si quod ex requisitis deficit, unio prolium ualida non est, nisi is, in cuius fauorem id, quod neglectum, requirebatur, de iure suo remittere, et unionem subsistere uelit. STRYK. *d. l. §. 13. Dn. à BERGER. Occ. J. p. 147. n. 14.*

54. Pro norma et regula unionis prolium, et quaestiones circa eam, diiudicandi, habetur Constitutio quaedam Moguntinensis, quae non solum in Camera Imperii, sed et alibi obseruatur. Dn. à BERGER. *d. l. p. 148. n. 5. §. 11.* CARPZ. *d. l. n. 14.*

55. Operatur unio prolium potestatem patriae an-

logam et intermediam inter patriam et tutelarem, nec nomen patris nouelli uel dignitatem aut priuilegia in liberos unitos transfert. SCHILT. *d. Ex. 3. §. 17.* STRYK. *d. l. §. 17-25.*

## CAP. VII.

DE

## EFFECTIBVS PATRIAE POTESTATIS.

1. *Effectus* patriae potestatis distincte considerandi sunt, (1. ex parte *parentum*, qui habent liberos in potestate, (2. ex parte *liberorum*, qui in potestate parentum habentur, laxius sumto parentum liberorumque nomine, ut adoptiui includantur.

2. Vtraque ex parte sunt uel *lucratiui*, uel *onerosi*.

3. Ex parte *parentum* effectus patriae potestatis *lucratiui* respiciunt uel *personas* liberorum, uel *res atque negotia* eorum, uel *delicta*.

4. Qui *personas* liberorum respiciunt effectus, consistunt in eo, quod (a. liberi in casu extremae necessitatis uendi possunt. *l. 2. C. de patr. qui filios distraxerunt. j. in. h. ult. C. de patr. pot.*

5. *Hodie* licet addicere liberos ad operas, seruitia, si magistratus auxilium deficiat, qui alere in subsidium tenetur eos, qui se ipsos alere non possunt, et aliorum auxilio destituti sunt. STRYK. *U. M. II. t. de his, qui sui. §. 6.*

6. (b. Liberi ex J. Quiritium uindicari, uel ad id, ut exhibeantur, agi potest. *l. 1. §. 2. de R. V. l. 1. §. 1. de lib. exhibendis.*

7. Qui *res atque negotia* liberorum respiciunt effectus, consistunt in iure (1.) *acquirendi per liberos*, modo rerum dominia, modo earum usumfructum, pro peculiorum

rum

rum diuersitate. §. 1. *J. per quas person. cuique acquir. T. D. DE PECVLIO. XV. 1.*

8. *Peculium* in genere est patrimonium, quod illi, qui alieno iuri subiecti sunt, tam liberi quam serui, à parentum uel dominorum rationibus iure separatum habent. *l. 5. §. 3. 4. de pecul. l. 182. de V. S.*

9. Seruorum *peculium* unum et simplex est, filiorumfamilias *peculium* in *militare* et *paganum* diuiditur.

10. *Militare* complectitur res in militia armata, uel occasione eius, quod *castrense*, uel in militia togata, id est officio publico, uel arte liberali, aut occasione eius, quod *quasi castrense* *peculium* appellatur, quaefitas. *T. D. DE CASTRENSI PECVLIO. XLIX. 17. T. C. de episcopis et cler. etc. et CASTRENSI PECVLIO etc. l. 3. T. C. DE CASTRENSI PECVLIO MILITVM ET PRAEFECTIANORVM. XII. 37.*

11. *Paganum* complectitur res, quae extra causam militiae uel ex re patris, aut eius intuitu, quod *profectitium*, uel aliunde ad filiumfamilias peruenerunt, quod *aduentitium* *peculium* appellatur. §. 1. *J. per quas pers. T. C. DE BONIS MATERNIS ET MATERNI GENERIS. VI. 60.*

12. In *militari* *peculio* patrifamilias nihil iuris competit, in *pagano profectitio* et proprietas et usufructus competit, in *aduentitio* modo usufructus tantum, quod *aduentitium regulare*, modo ne usufructus quidem, quod *irregulare* appellatur.

13. Ad *irregulare* *peculium aduentitium* pertinent res, quae ad filiumfamilias sub expressa conditione, ut usufructus patri cedere non debeat, uel ex successione fratris germani emancipati, uel aliunde patre dissentiente, uel ex iniusto repudio à parentibus suscepto peruenerunt. *N. 117. c. 1. N. 118. c. 2. l. ult. C. de bon. quae lib. N. 134. c. 11.*

14. Sed et eorum bonorum, quae ad *peculium*



aduent. *regularare* pertinent, si usumfructum sibi pater non vindicauerit, sed ea apud liberos reliquerit, heredes ususfructus nomine nihil postulare possunt. *l. 6. §. 2. C. de bon. quae lib.*

15. *Hodie* peculiorum diuersitas adhuc durat, et pro ea acquisitio per liberos procedit, sed ususfructus in peculio aduentitio non amplius ad dies uitae patris durat, sed liberorum separata oeconomia, uel nuptiis, uel maiorenitate extinguitur. CARPZ. 2. 10. 7. et 8. HOPP. ad §. 1. J. per quas pers. U. H.

16. Munera *hodierna* patrinorum pro re nata ad peculium profectitium, uel aduentitium, idque uel *regularare*, uel *irregularare*, in dubio ad peculium aduentitium *regularare* referenda sunt.

17. Ex acquisitione per liberos fuit praeterea, quod pater et liberi habeantur pro una persona, per fictionem, quae uocari solet, unitatis. *l. ult. C. de impub. et aliis substit.*

18. Cuius rei effectus est, ut pater et filius contrahere inter se non possint, nec in iudicio litigare. §. 6. J. de inutil. stipul. l. 4. de iud.

19. Quod accipiendum (α. de ciuili et mixta, non de naturali obligatione. *l. 38. §. 1. et 2. de condiēt. indeb.*

20. (β. De praedicio ipsiusmet patris et filii, non tertii, *l. 10. §. 2. j. l. 56. §. 1. de fideiuss.*

21. (γ. De iis rebus, quae patri per filium acquiruntur, non item de peculio castrensi uel quasi. *l. 15. §. 1. et seq. de pec. castrens. l. 2. ad Sc. Mac.*

22. (δ. De causis priuatis, non publicis. *l. 9. de his, qui sui uel al. iur. l. 77. et seq. de iud.*

23. (2) Administrandi ea liberorum bona, quae ad peculium aduentitium, seu *regularare*, seu *irregularare*, pertinent, sic quidem, ut cautionem praestare uel inuentarium

rium facere et rationes reddere non teneatur, et alienare res etiam immobiles ob necessitatem uel utilitatem manifestam sine decreto magistratus possit. *l. 8. §. 4. 5. et T. C. DE BONIS, QVAE LIBERIS IN POTESTATE PATRIS CONSTITVTIS EX MATRIMONIO VEL ALIAS ACQVIRVNTVR, ET EORVM ADMINISTRATI-ONE. VI. 61.*

24. (3) *Agendi nomine liberorum in iudicio*, diuersimode tamen, pro peculiorem diuersitate, secundum ea, quae inferius suo loco dicentur. *v. l. 1. C. de bon. mar. l. ult. C. de bon. quae lib.*

25. (4) *Substituendi liberis pupillariter*, de quo plura inferius suo loco. *v. l. 2. de pupill. substit.*

26. (5) *Constituendi liberis tutores testamento*, de quo similiter inferius plura, eod. *M. II. v. l. 40. de administr. tut.*

27. Qui delicta liberorum respiciunt effectus, consistunt in iure puniendi liberos.

28. Quod ius J. Rom. ueteri usque ad potestatem uitae ac necis extensum fuit. *l. ult. C. de patr. potest.*

29. Postea idem temperatum, et restrictum ad delicta leuiora, et modicam castigationem, grauioribus et delictis et poenis magistratui reseruatis. *l. 3. C. de patr. pot. l. un. C. de emend. propinqu.*

30. Quod accipiendum (i. regulariter: nam licet patri ui patriae potestatis filiam in adulterio, in sua uel generi domo, deprehensam, una cum adultero interficere. *l. 20. 21. 22. 23. 32. ad L. Jul. de adult.*

31. (2. Vt consentire patres in poenas debeant, quas magistratus liberis imposituri sunt, earundemque exasperationem urgere possint. *d. l. 3. C. de patr. potest.*

32. Quod hodie cessare contendunt ex diuersis rationibus HOPP. ad §. 2. J. de patr. pot. U. H. et Dn. à BERGER *Oec. J. p. 149. pr.*

33. *Onerosi effectus patriae potestatis ex parte paren-*

rentum consistunt in eo, quod (1. pater liberos in testamento aut haeredes instituere, aut expresse et ex iusta causa exheredare debet. *t. Z. D. de liberis et postb. heredibus instit. uel exhered.*

34. (2. Arrogator filium uel nepotem impuberem arrogatum non potest nisi ex causa, ex qua exheredare potest, emancipare aliter, quam ut emancipatus quartam partem bonorum arrogatoris, praeter sua, post mortem ipsius consequatur. *§. 3. J. de adopt.*

35. (3. Si idem impubes arrogatus ante pubertatem decessit, arrogator ei non succedit, sed bona eius restituenda habet illis, qui ei ab intestato successissent, si arrogatio facta non fuisset. *d. §. 3.*

36. (4. Bona patris tacita hypotheca liberis obligata sunt ratione bonorum maternorum et materni generis, à tempore administrationis, quae hypotheca *J. Sax. El. ad alia quoque bona aduentitia extensa est. l. 8. §. 4. C. de sec. nupt. l. 6. §. 4. C. de bon. quae lib. O. P. S. t. 45. §. Unter andern.*

37. Ex parte *liberorum* effectus patriae potestatis (*a*) *lucratiui* praeter eos, qui in onerosis ex parte parentum latitant, consistunt in iure *familiae* generaliter dicto, quod complectitur plura iura, quae et singula passim iuris familiae nomine appellari solent.

38. Nempe complectitur (1) ius *agnationis*, quo liberi inter agnatos referuntur, et illis iuribus fruuntur, quae adgnatorum propria sunt.

39. (2) Jus *sui iuris*, ut liberi *sui heredes* sint, quo iure non solum id, quod modo de expressa uel heredis institutione uel exheredatione *§. 33.* dictum, sed etiam alia circa aditionem et transmissionem hereditatis continentur, de quibus inferius suo loco plura.

40. (3) Jus *tertij generis*, quo liberi ex con tractu  
mu-



mutui cum extraneis celebrato non obligantur, per Sctum Macedonianum, de quo inferius agendum pluribus.

41. (β) *Onerosi* praeter eos, qui in effectibus ex parte parentum lucratiuis latitant, consistunt in eo, quod liberi (i. testamentum facere non possunt. *l. 6. qui testam. fac. poss.*

42. (2. Nuptias celebrare non possunt sine parentum consensu, quorum in potestate sunt, uel aliquando esse possunt. *l. 2. et 16. §. 1. de R. N.*

43. Reuerentia, quam liberi parentibus debent, et onus alendi, quod parentibus incumbit, non sunt effectus patriae potestatis, sed ex alia iuris dispositione circa statum cognationis ueniunt. vid. *l. 8. §. 5. C. de bon. quae lib.*

44. Maxime cum reuerentia tam matribus quam patribus debeatur, onusque alendi non solum utriusque generis parentibus commune, sed etiam inter parentes et liberos reciprocum fit. *l. 2. de J. et J. l. 6. de in ius uoc. l. 5. §. 1. et 4. de agnosc. uel al. lib. Nou. 12. c. 2.*

CAP. VIII.

DE

MODIS, QVIBVS PATRIA POTESTAS SOLVITVR.

1. Modi, quibus patria potestas soluitur, sunt uel *communes* parentibus atque liberis, uel parentibus aut liberis *propriis*. *T. J. QVIBVS MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLVITVR. l. 12. T. D. DE ADOPTIONIBVS, ET EMANCIPATIONIBVS, ET ALIIS MODIS, QVIBVS POTESTAS SOLVITVR. l. 7.*

2. *Communes* modi sunt (i. *mors*, eaque uel *naturalis*,

D

*ralis*, uel *ciuilis*, quae v. c. deportatione contingit. *pr. et*  
§. 1. *J. quib. mod. j. p. p. solu.*

3. *Hodie* mors *ciuilis* banno Imperii uel prouinciali, itemque relegatione perpetua cum fustigatione coniuncta contingit. *O. C. P. 2. t. 9. §. 2. SCHILT. Ex. 3. §. 9. et seq. HOPP. ad §. 2. J. quib. m. j. p. p. solu. U. H.*

4. Quod si relegatus uel bannitus in integrum restitutus est, siquidem ex *iustitia*, simpliciter cum aliis iuribus pristinis patriam potestatem uel ius familiae, sin ex *gratia*, tum demum recipit, quando specialiter eius in restitutione facta est mentio. *l. 3. 6. 9. 13. §. ult. C. de sent. vass. HOPP. ad §. 1. J. quib. mod. j. p. p. f.*

5. (2. *Adoptio*, hoc modo, ut per arrogationem ex parte parentum, per adoptionem ab ascendente factam ex parte liberorum, patria potestas soluatur. *§. 2. et II. J. de adopt.*

6. *Proprii* modi (1. *Parentibus* sunt (*a. expositio* infantis. *a. l. 2. C. de infant. expos.*

7. (*B. Incestae nuptiae secundae*, quibus sc. potestas in liberos ex priori legitimo matrimonio susceptos amittitur. *Nou. 12. c. 2.*

8. (2. *Liberis* sunt (*a.*) dignitas, non quaeuis, sed (1) dignitas *summa patriciatus*. *§. 4. J. quib. mod. j. p. p. solu.*

9. Cui *hodie* aequiparatur dignitas Consiliarii intimi, siue Imperatoris, siue Principis Germaniae. *STRYK. U. M. II. t. de adopt. §. 24.*

10. (2) Dignitas, quae à curia liberat. *Nou. 81. c. 1. j. l. ult. C. de decurion. ubi id genus dignitates recensentur.*

11. Quod accipiendum de effectibus patriae potestatis onerosis, non de lucratiuis seu fauorabilibus. *d. Nou. c. 2.*

12. Dignitates à curia liberantes *hodie* applicandae sunt, licet liberatio à curia per easdem cesset.

13. Non

13. Non liberat à patria potestate doctoralis dignitas, nec clericalis, excepto superintendentis munere, nec monachismus. HOPP. ad §. 4. l. quib. mod. j. p. p. solu.

14. (β.) *Emancipatio*, qua liberi à parentibus ex potestate dimittuntur. *T. C. DE EMANCIPATIONIBVS LIBERORVM. VIII. 49.*

15. Est ea (α. uel *honestā*, quae honoris et beneficii, uel *inhonestā*, quae poenae et contumeliae causa fit. §. 3. l. de adopt.

16. Ad *honestam* requiritur consensus tam eius, qui emancipat, quam illius, qui emancipatur, nec magis liberi dissentientes emancipari possunt, quam parentes inuiti ad emancipandum cogi. §. 10. J. quib. m. j. p. p. solu. l. 5. C. de emancip. lib.

17. Nisi ex certis causis, quae ex parte liberorum eadem sunt, ob quas exheredari possunt, ex parte parentum exponuntur ab HOPPIO ad §. 10. J. qu. mod. j. p. p. f.

18. Vel nisi is, qui emancipatur, infans sit, qui etiam sine consensu recte emancipatur. d. l. 5. in f. C. de emancipat. lib.

19. Atque haec *honestā* emancipatio est, ob quam patri praemii loco dimidia ususfructus bonorum filii aduentitiorum regularium competit ad dies uitae. §. 2. J. per quas pers. cuique acquir.

20. Ad *inhonestam* emancipationem requiritur iusta causa, nempe eadem, ob quam liberi exheredari possunt. a. l. 132. de V. O.

21. Quae eadem *inhonestā* emancipatio est, de qua in §. 3. J. de adopt. agitur, diciturque, impuberem arrogatum emancipari posse sine onere relinquendi eidem quartam partem bonorum arrogatoris, si dignus emancipatione fuerit.

22. (2. *Expressa* uel *tacita*.
23. *Tacita* emancipatio fit per praescriptionem, seu per non usum patriae potestatis decennalem. *l. 1. C. de patr. pot. ibique BRVNNEM.*
24. *Expressa* est uel *uetus* seu *legitima*, uel *noua* seu *Imperatoria*.
25. *Vetus* seu *legitima* est, quae per imaginarias uenditiones et manumissiones procedebat, et abrogata est per *l. 6. C. de emancip. lib.*
26. *Noua* seu *Imperatoria* emancipatio est uel *Anastasiana*, uel *Justiniana*.
27. *Anastasiana* est, qua ex constitutione Anastasii Imp. liberi etiam absentes à parentibus per rescriptum principis, apud competentem iudicem insinuatam, ex potestate dimittuntur. *l. 5. C. de emancipat. lib.*
28. Modo liberi uel apud eundem iudicem, uel apud alium, itemque uel ante uel post rescripti insinuationem, consensum suum in emancipationem declarauerint, siquidem ultra infantiae annos sint prouecti. *d. l. 5.*
29. *Justiniana* est, qua ex constitutione Justiniani liberi praesentes, nec dissentientes, sine rescripto principis apud competentem iudicem ex potestate dimittuntur. *l. ult. j. l. 3. C. de emancip. lib. §. 6. J. quib. mod. j. p. p. f.*
30. Competens iudex in utraque emancipatione accipiendus respectu iurisdictionis in se, non personae emancipantis, similiter ut in adoptione. *d. l. 5. et 6. C. de emancip. lib.*
31. *Hodie* emancipatio diuiditur (1. in *formalem* et *uirtualem*.
32. *Formalis* emancipatio est illa ipsa Juris Romani emancipatio, Anastasiana uel Justiniana, quae hodieque adhiberi et potest, et solet. *SCHILT. Ex. 3. §. 16.*
33. Idque cum in aliis Germaniae locis, praesertim in

in ciuitatibus mercatoriis, tum etiam in Saxonia, inprimis inter rusticos, uendentes filiis natu maioribus praedia. STRYK. *ad Laut. p. 50. Dn. WERNH. Vol. 1. O. F. 9. n. 2. 3.*

34. *Virtualis* emancipatio est, quae moribus Germaniae, et propemodum totius Europae introducta, et formali emancipationi uirtute exaequata est.

35. Contingit ( $\alpha$ . in *filiabus* nuptiis, quod de J. Romano secus est. *a. l. 20. j. l. 22. §. 2. ad Leg. Jul. de adult. §. 2. l. de nupt. MEV. ad J. Lub. l. 1. t. 3. n. 25.*

36. Etiam si filiae in aedibus paternis permaneant, et conuictu patris, licet gratis, fruuntur. CARPZOV. *2. 10. 2.*

37. ( $\beta$ . In *filiis* separatae oeconomiae institutione, consensu patris facta, uel etiam aliquibus in locis solo matrimonio, consensu patris inito. HOPP. *ad §. 6. J. qu. mod. j. p. p. f. UH. MEV. d. l.*

38. In *Saxonia* praecise requiritur (1) *peculiaris oeconomiae institutio*, non sufficientibus nuptiis, etiam si filius in conuictu patris non gratis maneat. *C. El. Sax. 10. P. 2. CARPZ. ad eam, D. 3.*

39. Nec sufficit separatio à conuictu paterno, sine peculiaris oeconomiae institutione facta. *Dn. WERNH. d. Vol. 1. O. F. 9. ubi praef.*

40. (2) *Maioresnitas*, quae et J. *Württembergico* requiritur. *CARPZ. d. l. D. 1. J. PROV. WÜRTENB. P. 2. l. 18. §. Es mögen. HOPP. d. l.*

41. (2. In *uniuersalem* et *particularem*.)

42. *Vniuersalis* emancipatio est, qua uinculum patriae potestatis penitus et in perpetuum dissoluitur, qualis ea est, quae per nuptias uel separatam oeconomiam contingit.

43. *Particularis* emancipatio est, qua uinculum patri-



patriae potestatis ad tempus, et quod ad certum actum, soluitur, u. c. ad diuisionem bonorum maternorum, uel ad uenditionem praedii, quae in Saxonia inter patres rusticos et liberos celebrari solet.

44. Hoc amplius *particularis* emancipatio est uel *expressa*, uel *tacita*.

45. *Expressa* est, quando expressis et conceptis uerbis liberi ad certum actum et tempus ex potestate dimittuntur.

46. *Tacita* est, quando liberi tacita uoluntate à parentibus ad certum actum ex potestate dimittuntur.

47. Quae tacita uoluntas colligitur ex uerbis uel factis, u. c. ex petitione, ut liberis tutor uel curator ad actum diuisionis bonorum maternorum constituatur.

48. Non item ex eo solo, quod pater cum liberis, quos in potestate habet, contraxit, u. c. rusticus filio natu maiori praedium uendidit.

49. Locum habet emancipatio particularis in causis priuatis, non in publicis, seu quae publici iuris sunt, u. c. testamenti, ad quod faciendum filiusfamilias emancipari non potest.

50. Denique obseruandum, patriam potestatem praedictis modis uel *simpliciter* solui, uel *secundum quid*, ut quis ex unius potestate in alterius potestatem transeat.

51. Posterius contingit (1. ex modis *communibus* (α. *morte*, puta aui, qui filium una cum nepote in potestate habet, eo quod nepos a potestate aui liberatus in potestatem patris sui recidit. *pr. J. quib. mod. j. p. p. s.*

52. (β. *Adoptione*, puta ea, quae ab adscendente facta, qua filiusfamilias adoptatus ex patris naturalis potestate in potestatem patris adoptiui transit. *J. 2. J. de adop.*

53. (2. Ex modis (liberorum) *propriis* emancipatione,

ne, à patre adoptiuo, eoque adscendente, facta, qua filius adoptiuus ex potestate patris adoptiui in potestatem patris naturalis recidit. *a. l. 10. pr. et §. 2. C. de adopt.*

CAP. IX.

DE

ACTIONIBVS EX STATV FAMILIAE DESCENDENTIBVS.

1. Ex statu familiae strictissime dicto oritur actio praedicialis, quae speciatim actio familiae dici potest.

2. Competit uel parentibus contra liberos, quae et in specie actio paterna, uel liberis contra parentes, quae actio filialis, utraque secundum quid, respectu sc. patriae potestatis, dici potest.

3. Hoc amplius utraque actio est uel affirmatoria, quo quem esse uel habere in patria potestate affirmatur, uel negatoria, quo quem esse uel habere in ea negatur.

4. Parentibus contra liberos competit (*α. affirmatoria*), quando liberi, qui adhuc in patria potestate constituti, se pro personis sui iuris gerunt, ad hoc, ut pro filiis uel filiabus familias declarentur.

5. (*β. Negatoria*), quando liberi legitimi emancipati, uel naturales, qui nunquam in potestatem patriam redacti sunt, se pro filiis filiabusue familias gerunt, ad hoc, ut pro emancipatis uel alias extra patriam potestatem constitutis declarentur.

6. Cui actioni hodieque locus esse potest, quando pater filium uel filiam emancipauit, qui mox per nuptias uel separatam oeconomiam ex patria potestate exituri erant, ad consequendum commodum emancipationis (formalis et expressae) ex *§. 2. J. per quas pers. cuique acquir.*

7. Li-

7. *Liberis contra parentes* competit (α. *affirmatoria*, quando à parentibus, quorum adhuc in potestate sunt, pro emancipatis uel alias extra patriam potestatem constitutis habentur, ad hoc, ut esse uel adhuc esse in patria potestate declarentur.

8. Cui actioni hodieque locum esse posse, ex iis, quae *pos. 6.* dicta, haut ita difficulter intelligi potest.

9. (β. *Negatoria*, quando à parentibus pro constitutis in ipsorum potestate habentur, cum sui iuris sint, speciatimque uel nunquam fuerint in potestate parentum, uel iam ex ea exierint, ad hoc, ut pro emancipatis uel alias personis sui iuris declarentur.

10. Quae actiones aequè inter *naturales* parentes et liberos, eosdemque legitimos uel illegitimos natos, uel legitimatos, ac inter *adoptiuos*, caeteris paribus locum habent.

### CAP. X.

DE

## STATV HERILI.

1. In statu *herili* sunt domini et serui, domini actiue, ut seruos habeant in potestate, serui passiuè, ut sint in dominorum potestate, quae inde dominica appellatur. §. 1. et t. *Z. J. et D. DE HIS, QUI SUI VEL ALIENI IURIS SVNT. l. 8. l. 6.*

2. Serui dupliciter considerantur, (1. *rat. status libertatis*, quo opponuntur liberis hominibus, de quo superioribus actum.

3. (2. *Rat. status herilis seu familiae latius dictae*, quo serui opponuntur dominis, quorum in potestate sunt, quae consideratio est huius loci.

4. Serui accipiendi sunt latius, ut seruas comprehendant, quae et ancillae dicuntur.

5. Po-



5. Potestas dominica primum complexa est (1. plenariam acquisitionem per seruos : (2. ius uitae ac necis. §. 2. *J. de his, qui sui uel al. iur.*

6. Postea J. Romano posterius temperatum, prius retentum et confirmatum est. §. 2. *J. d. t. §. 3. J. per quas pers. cuique acquir. T. C. DE EMENDATIONE SERVORVM. IX. 14.*

7. Quae ultima iuris Rom. dispositio adhuc hodie in iis locum habet, in quos seruitus iure retorsionis exercetur.

8. Ex statu herili domino actio *praeiudicialis* competit, contra seruum, qui se seruilis quidem esse conditionis fatetur, sed domini istius seruum se esse negat. *a. l. 6. D. si ingen. esse dicetur.*

9. Competit eidem etiam *rei vindicatio*, sed non ex statu et iure personarum, sed ex iure rerum, et quatenus serui inter res referuntur. *l. 5. §. f. de R. V. j. l. 3. et 4. de cap. min. l. 1. §. 1. de diuis. rer.*

10. Competit et actio *liberalis* contra seruum, qui se pro libero gerit, sed haec communiter ad statum libertatis referri solet, secundum ea, quae superius dicta sunt.

11. Dici tamen fortassis poterat, liberalem actionem, quatenus domino contra seruum, qui se pro libero gerit, vel aliis, quorum ex persona domini interest, ut creditori pignoratitio, competat, proxime ex statu *herili*, quatenus aliis, quorum aliter quam ex persona domini interest, competat, ex statu libertatis descendere.

12. Seruo contra dominum *falsum* actio non competit, sed expectare debet, donec à uero domino vindicetur, quia personam standi in iudicio non habet, nisi ex seruitute in libertatem proclamet, quae proclamatio ex statu libertatis procedit. *l. 1. C. de assert. toll.*

13. Contra *uerum* dominum seruo multo minus actio competit, interim tamen in casu, cum intolerabilis domini

E

facui-

faeuitia est, ei imploratio iudicis contra dominum concedenda uidetur. a. §. 2. *J. de his, qui sui vel al. iur. j. l. 1. C. de assert. toll.*

14. *Hodie* gentibus Christianis, inter quas et quatenus seruitus exulat, status herilis est, in quo domini dominaeue ac ministri ministraeue, uel similis generis personae, ut homines proprii, rustici, constituti sunt.

15. Quod ad personas ministrantes, *Gesinde* / atinet, status herilis quamuis ex contractu locationis conductionis uel alio originem accipiat, tamen effectum proprium habet, ut personae illae praeter id, quod quidquid ex operis ministerialibus acquirant, id dominis acquirant, modice uerbis uerberibusque castigari possint. (a)

16. Modo castigatio fiat (1. ob delictum domesticum, seu quod ministerium attingit: (2. uerbis ad ministerium, non ultra spectantibus. HOPP. *ad §. 2. J. de his, qui sui vel al. iur. in U. H.*

17. Eadem dicenda de hominibus propriis, et rusticis, qui operas debent, ut quicquid ex his acquirant, id dominis suis, *ihren Erbherrn* / acquirant, insimulque modice

(a) Communiter dicitur, seruos hodiernos mercenarios obligari dominis suis ex contractu locationis conductionis, ut tamen propter indolem domesticae disciplinae, cui per locationem tacite se subiiciant, modice possint uerbis uerberibusque castigari. v. HOPP. *cit. mox loco*. Sed sic reuera per uerba: *propter indolem domesticae disciplinae* &c. etiam ab inficiis et inuitis status herilis indicatur. Nam alii operarum locatores sic castigati non possunt, sed debent unice officio iudicis ad implendas operas compelli, vel contra eos ex contractu locationis conductionis agendum. Nec potest aut debet hic, quem asserimus, status herilis cuiquam mirus uideri, modo cogitet, hunc statum herilem ex moribus hodiernis descendere et à Romanorum herili statu diuersum esse,

dice castigari possint, maxime si domini simul iurisdictionem in eos habeant, qui Erb- und Gerichts-Herren appellantur.

18. Quod adeo uerum, ut non solum in operarum praestatione et ob eas non rite praestitas coërceri, sed etiam ad earum praestationem, si denegentur et satis liquidae sint, dominusque uel inferiori saltem iurisdictione gaudeat, multa, carcere, pignoratione, et sic porro, compelli possint. CARPZ. 2. 51. 16. BALTHASAR de oper. subdit. c.

18. B. à LYNCKER Dec. 899. & Vol. 2. Resp. 77. n. 17. 199.

19. Dividuntur operae istae (1. rat. modi praestandi in equestres, Pferde-Dienste/ et manuales, Handfrohen.

20. Equestres iumentis praestantur, ab iis, qui multum agri possident, et equos alunt, uocanturque Pferdner/ Anspanner/ Hüffner.

21. Manuales corpore praestantur, ab iis, qui nihil uel parum agri possident, uocanturque Hintersättler/ Handfröhner/ Cotsassen uel Coshäten/ it. Hintersiedler.

22. (2. Rat. quantitatis in certas seu determinatas, gesetzte oder gemessene Dienste/ et incertas seu indeterminatas, ungemessene Dienste oder Frohen/ it. ungemittelte Dienste. vid. Nob. Dn. à BERGER El. Discept. For. p. 1775. in f.

23. Certae seu determinatae sunt, quae ad certas temporis, loci, uel alias circumstantias restrictae sunt.

24. Idque uel lege aut consuetudine, uel praescriptione, uel conuentione, aut re iudicata. v. Constit. El. Sax. 82. Part. 2. & Dec. nov. 33. B. à LYNCKER Dec. 844. & 859.

25. Sic quidem, ut strictissime accipiendae, & quantum fieri potest, restringendae sint, ut quam minimum rustici onerentur. Nob. Dn. à BERGER Occ. Jur. p. 53. n. 8.

*ubi praej. Dn. WERNHER. Vol. 7. O. F. p. 764. B. à LYNCKER Dec. 298.*

26. *Incertae seu indeterminatae sunt, quae nullis temporis, loci, uel aliis circumstantiis circumscriptae sunt. BALTHAS. d. tr. c. 12.*

27. *Hae debent (α. moderate exigi, ut rustici proprios quoque agros colere possint, ac suis necessitatibus sufficiant, alias officio iudicis moderantur. a. l. 19. & 50. §. 1. de oper. libert. CARPZOV. L. 1. R. 54. B. à LYNCKER Dec. 608. & Vol. II. R. 77. n. 7. §qq.*

28. *(β. Honestae et consuetae esse, habita tamen casuum ordinariorum et extraordinariorum, morumque locorum ratione. v. l. 33. d. t. BALTHASAR d. tr. c. 11. & 12.*

29. *(γ. Exigi tempore diurno, nec festivo. BALTHAS. laud. tr. c. 13.*

30. *Itemque intra territorium seu districtum domini. CARPZ. L. 1. R. 57. BALTHAS. eod. tract. c. 14.*

31. *Ut tamen consuetudine uel praescriptione aliud introduci, aut pacto conueniri, aut sententia determinari possit. Laudati Auctores dd. l. vid. id. CARPZ. P. 2. C. 52. D. 5.*

32. *Quodsi de quantitate operarum controuersia est, arbitrio iudicis definiendae sunt.*

33. *J. Saxonico Et. speciatim determinatio Regimini Aulico reseruata est. P. 2. Const. 52, et Dec. 33.*

34. *Quod accipiendum (α) de petitorio, quo de iure operarum, non de possessorio, quo de facto et sola possessione quaeritur. Nob. Dn. à BERGER E. D. F. p. 1773. ubi praej.*

35. *(β) De operis futuris, non de praeteritis, de quarum ex contumacia intermissarum aestimatione agitur. CARPZ. P. 2. C. 52. D. 11.*

36. *(γ) De operis aedilitiis, non aliis quibuscunque. Dn. WERNHER. Vol. 4. Obs. for. 363. conf. pos. 38. b. C.*

37. (3.)

37. (3) *Rat. causae praestandi in ordinarias*, quae regulariter, et *extraordinarias*, quae extra ordinem debentur.

38. *J. Saxonico El.* ad *ordinarias* (easdemque certas ac lege determinatas) pertinent (*α. operae aedilitiae*, *Bausführen*/*Bausfrohen*/ quas rustici dominis suis, *ihren Erbo Herren*/ ad extruenda in feudis aedificia praestare iubentur in *Ord. Provinc. de A.* 1555. Tit. *Bausführen*/δ. *demnach*/C. *J. S. p. 50. Add. P. 2. C. 52. et Dec. nov. 33. Conf. CARPZ. ad d. C. 52. et Nob. Dn. à BERGER Elect. Disc. For. p. 1773. in f. sq.*

39. (β. *Operae per modum locationis conductionis praestandae à liberis rusticorum domino hereditario*, quod uocatur *der Dienst Zwang*/ id est, ius praelationis in conducendis operis liberorum rusticorum. *Ord. Pol. Sax. El. de A.* 1661. *T. 23. c. 3. conf. Dn. à BERGER. Oec. J. p. 54. Dn. WERNHER Vol. 1. Obs. for. 44.*

40. Ad *extraordinarias* pertinent excubiae tempore belli uel grassantium incendiariorum, aut aduersariorum domini eiuratorum, peragenda. *Const. El. 52. P. 2.*

41. (4) *Rat. mercedis in gratuitas*, quae gratis, et *non gratuitas*, quae pro modica mercede seu compensatione praestantur.

42. Cum mercede et compensatione non est confundenda impensarum restitutio, quae regulariter cessat, ferentibus impensas illis ipsis, qui seruitia praestant. *a. l. 18. et 20. de oper. libert. BALTHASAR cit. tr. c. 15.*

43. *Intelligendae tamen non nisi illae impensae*, quae ad uictum, uestitum et instrumenta, ut plaustra, aratra, equos, secures, catenas, pertinent. *v. l. 21. d. t. de oper. lib. j. l. 2. §. 1. ad L. Rhod. CARPZ. P. 2. C. 52. D. 10. n. 6.*

44. In *Saxonia El.* constitutum, ut praestantibus uecturas et uigilias, de quibus dictum, modicus uictus, *Rausse und Brod*/ suppeditetur, quidie *Lieferung* uocatur in *d. Ord. Prov. et P. 2. Const. 51. et Dec. 33.*

45. *Operae manuales* ab illis ipsis praestandae sunt, à



quibus debentur, nec aliis inuito domino mandari possunt.  
*a. l. 9. §. 1. de oper. libert.*

46. Sicut nec hae, nec aliae operae à domino in pecuniam, *Dienst, Geld* uel alias operas inuitis subditis conuerti, aut cedi alteri uel locari possunt. *CARPZ. L. 1. R. 56. BALTHAS. d. tr. c. 16. B. Dn. GROLMANN. Diss. de operar. mund. c. 2.*

47. Etiam si dominus operis istis non commode uti possit, et exigua pecunia contentus esse uelit. *Jb. Dn. à BERGER Oec. J. p. 54. ubi praesj.*

48. Modo ei non plane inutiles futurae sunt. *a. l. 25. pr. et §. 1. de oper. libert. IDEM d. l. Dn. GROLMANN. laud. Diss. c. 4. §. 26. seq.*

49. Aut subditorum, qui operas praestare debent, conditio non fiat deterior. *B. à LYNCKER Dec. 1442. GROLMANN. d. c. 4. §. 29. seq.*

50. Aut casus adsit necessitatis, dum dominus aeris ualde indiget. *BALTHAS. d. l. GROLMANN. d. c. 4. §. 14. seq.*

51. *Cessant* operae (i. iisdem modis, quibus constituuntur, cum nullae ex lege debentur, pacto, praescriptione, sententia.

52. Nisi quod praescriptio, per quam ius operas exigendi acquiritur, accipienda est 10. uel 20. annorum cum titulo, 30. annorum sine titulo. *BALTHAS. cit. tr. c. 9.*

53. Contra uero ea, per quam obligatio praestandi operas tollitur, accipienda ex communi sententia 30. uel 40. annorum. *a. l. 2. C. de longi temp. praescript. quae pro lib. BALTHAS. d. tr. c. 10.*

54. In *Saxonia* indistincte praescriptio 30. annorum cum additamento Saxonico obtinet. *CARPZOV. P. 2. C. 4. D. 1. et P. 2. C. 52. D. 12.*

55. Requiritur tamen ad praescriptionem, per quam ius exigendi operas amittitur, ut casus extiterit, quo exigi potu-

potuerint, et tamen exactae non sint, adeo ut ab hoc termino currere demum praescriptio incipiat. *B. à LYNCKER Dec. 195.*

56. Denegatio uero, ut sc. exactae sed denegatae fuerint operae, praecise opus non est. v. *B. à LYNCKER. Dec. 961.*

57. (2. Ob iustum impedimentum, v. c. ob ualetudinem, uel equos furto ablatos, uel alias ob impossibilitatem. arg. *l. 15. de oper. libert. BALTHAS. d. c. 10. GROLMANN. alleg. Diff. c. 4. §. 17. sqq.*

58. (3. Si sint inhonestae, illicitae, uel immoderatae. *BALTHAS. d. l. GROLMANN. d. l.*

## CAP. XI.

DE

## STATV COGNATIONIS IN GENERE.

1. *Cognitionis* uox uel *late*, uel *stricte*, uel *strictissime* accipitur.

2. *Late* accepta comprehendit omnis generis coniunctionem personarum, siue ex sanguinis communiōe, siue ex nuptiis, siue ex aliis causis descendente.

3. *Stricte* accepta significat eam coniunctionem personarum, quae ex sanguinis communiōe descendit, et in specie *consanguinitas* appellatur.

4. *Strictissime* accepta significat eam coniunctionem, quae in J. Ciuili in specie *cognatio* dicitur, adgnationi opposita, licet utraque in sanguinis communiōe fundetur. *l. 4. §. 2. de grad. et affin.*

5. Secundum *latam* significationem cognatio diuiditur in *naturalem* et *ciuilem*, seu *legitimam*.

6. *Naturalis* cognatio est, quae ipso Naturali iure ex causis naturalibus introducta est, licet ciuili iure amplificata, et effectibus pariter ac nominibus distincta.

7. *Ciui-*

7. *Civilis* seu *legitima* cognatio est, quae civili iure ex caussis civilibus introducta est.

8. *Naturales* causae sunt sanguinis communio et nuptiae uel concubitus, unde cognatio naturalis in *consanguinitatem* et *affinitatem* diuiditur.

9. Quapropter agendum (1. de cognatione *naturali*, speciatimque (α. de *consanguinitate*, (β. de *affinitate*: (2. de cognatione *civili*: (3. de *actionibus* ex statu cognationis descendentibus.

### CAP. XII.

DE

## COGNATIONE NATVRALI, SPECIATIM- QVE DE CONSANGVINITATE.

1. Cognatio naturalis stricte dicta, seu *consanguinitas*, *Blut-Freundschaft*/ subdiuiditur (1. in *ciuilem* et *seruilem*.

2. *Civilis* cognatio est hominum liberorum, nec cum ea civili cognatione, quae naturali opponitur, et legitima quoque appellatur, confundenda. l. 4. §. 2. de grad. l. 12. §. 4. de R. N.

3. *Seruilis* cognatio est seruorum, ab uno stipite descendentium. pr. J. de *seruili cognatione*. l. 14. §. 2. de R. N.

4. (2. In *legitimam* et *illegitimam*, quarum illa etiam *plena* et *propria*, haec *minus plena* et *impropria* appellatur.

5. *Legitima* est, qua plures personae ab uno stipite ex iustis nuptiis seu legitimo matrimonio, uel inter seruos contubernio, connatae sunt, seu communem sanguinem trahunt. l. 4. §. 8. de grad.

6. *Illegitima* est, qua plures personae ab uno stipite extra iustas nuptias, seu legitimum matrimonium uel contubernium, aut minimum non omnes ex iustis nuptiis con-

natae



natae sunt, seu communem sanguinem trahunt. *l. 14. §. 2. de R. N.*

7. (3. In *rectam* et *obliquam* seu *collateralem*.

8. *Recta* cognatio stricte dicta seu consanguinitas est, qua plures personae *recta* linea ab uno stipite connatae sunt, seu communem sanguinem trahunt.

9. *Obliqua* seu *collateralis* est, qua plures personae *obliqua* linea ab uno stipite descendunt, sic ut si iusta serie collocantur, ad latera inuicem constitutae sint.

10. *Recta* cognatione coniuncti *parentum* et *liberorum*, itemque *adscendentium* et *descendentium* nomine ueniunt.

11. Speciatim J. Romano *adscendentes* usque ad *tritauum*, *descendentes* usque ad *trinepotem* propriis uocalibus nominantur, reliqui generali *maiorum* et *posterorum* appellatione continentur. *l. 10. §. 7. de gradibus*.

12. *Obliqua* seu *collaterali* cognatione coniuncti *fratrum* uel *sororum*, *patruorum* uel *auunculorum*, *amitarum* uel *materterarum*, et *fratris* *sororis* uel *liberorum*, *patruelium* uel *consobrinorum*, et aliis nominibus denotantur. *d. l. 10. §. 12. et seqq. de grad.*

13. *Obliqua* seu *collateralis* cognatio stricte dicta seu consanguinitas in *unilateralem* et *bilateralem* subdiuiditur.

14. *Unilateralis* consanguinitas est, qua plures personae ab uno latere, seu in una linea tantum, *paterna* uel *materna*, ab uno stipite descendunt, communemque sanguinem ducunt.

15. *Bilateralis* consanguinitas est, qua plures personae ab utroque latere, seu in utraque linea, *paterna* et *materna*, ab uno stipite descendunt, communemque sanguinem ducunt.

16. *Prioris generis* consanguinei sunt *fratres* uel *sorores*, qui ab eodem patre, diuersis matribus prognati sunt, qui

*consanguinei* in specie, uel uice uersa ab una matre, diuersis patribus, qui *uterini* appellantur, Halb- oder Stief-Geschwister.

17. Itemque fratrum sororumue consanguineorum uel uterinorum, imo etiam germanorum, liberi, et omnes collaterales superiores, ex linea siue paterna, siue materna.

18. Posterioris generis consanguinei sunt fratres et sorores, qui ab eodem patre eademque matre descendunt, et *germani*, leibliches oder vollbürtiges Geschwister/ appellantur, non item eorum liberi, ut modo dictum.

19. (4. In *agnationem* et *cognationem* strictissime dictam, quae diuisio hominum liberorum propria est.

20. *Agnatio* est coniunctio personarum in linea paterna à communi stipite per masculos descendantium, siue masculini siue foeminini sexus sunt, ut amitae, fratris patruue filiae. §. 1. J. de legitim. agnat. tut. j. §. 3. J. de legit. adgnat. success.

21. Modo (α. ab ipsa amita, et fratris patruue filia distinguantur illi, qui ex istis descendunt, qui non adgnati, sed cognati sunt, quia non matrum suarum, sed patrum familias sequuntur. dd. §. §.

22. (β. Nulla capitis deminutio, ne quidem minima, quae per adoptionem uel emancipationem contingit, intercesserit, quippe qua ius familiae, speciatimque adgnatio cum suis effectibus plerumque perimitur. §. 3. J. de leg. agnat. tut. j. §. 1. 2. 3. J. de cap. demin.

23. Exceptio est (1. in fratribus emancipatis, qui constitutione Anastasii ad successionem et tutelam fratrum uocantur. l. 4. C. de leg. tutela.

24. (2. In fratrum emancipatorum filiis, quod ad eosdem effectus successionis et tutelae legitimae, ex constitutione Justiniani. l. ult. §. 3. et 4. C. de leg. hered.

25. (3. In omnibus generatim quod ad iura familiae, qui-

quibus Anastasiana emancipatione emancipandis in rescripto iura familiae (ad preces) referuata sunt, ex constitutione Anastasii, l. 11. C. eod.

26. *Cognatio strictissime dicta* est coniunctio personarum, quae in linea materna indistincte, in linea paterna per feminas à communi stipite descendunt, siue sint masculi, siue feminei generis. §. 1. J. de leg. agnat. tut.

27. Haec maxima capitis deminutione, qua libertas et cum ea ciuitas, et media, qua ciuitas sola amittitur, soluitur. §. 3. J. de legit. agnat. tut. §. 6. j. §. 1. et 2. J. de cap. deminut.

28. Quod accipiendum de effectibus *ciuilibus*, id est iure ciuili aut introductis, aut reformatis, aut commutabilibus, ut successionis, non de *naturalibus*, ut prohibitionis nuptiarum.

29. Differentia agnationis et cognationis ratione effectus consistit in eo, quod (α. adgnati soli J. Ciuili ad successionem ab intestato uocantur, cognati ad eandem non nisi praetoris beneficio post omnes adgnatos admittuntur, per bonorum, quae uocatur, possessionem. pr. J. de leg. adgnat. tut. pr. J. de success. adgnat.

30. (β. Agnati ob hoc ipsum, quod J. Ciuili ad successionem ab intestato uocantur, eodem iure ad tutelam adgnatorum impuberum uocantur, quae ex eo legitima dicitur. pr. J. de legit. agnat. tut. j. T. de legit. patron. tut.

31. *Novo* iure differentia inter agnationem et cognationem sublata, et cognati adgnatis in successione pariter ac tutela exaequati sunt. Nov. 118. c. 4. et 5.

32. Qua re tamen ius reliquum familiae, ut fuitatis, et respectu eius differentia inter emancipatos uel in adoptionem datos liberos, et eos, qui sunt in potestate, salua permansit.

33. *Hodie* in Germania differentia inter agnationem

et cognationem intercedit, sed non ea, quae J. Romano continetur, sed alia, similis tamen, in successione et tutela feudali.

34. Imo J. Sax. etiam in civilibus causis intercedit, in tutela et successione in rebus expeditoriis, quae heergevvetica appellatur. I. P. SAX. l. 1. a. 23. Weichbild. a. 49.

35. Sed emancipatione hodie uel adoptione agnatio non tollitur, bene tamen ius fuitatis ut J. Romano, et in genere iura familiae, quae praeter agnationem dantur, et hodieque uim suam exerunt.

36. Tollitur tamen hodieque agnatio media capitis diminutione, qua ius ciuitatis amittitur, non maxima, cui hodie non locus, per ea, quae superioribus dicta.

37. Eodem J. Sax. agnatio uocatur die Schwerts Magenschafft/ cognatio die Spill Magenschafft/ consanguinitas in genere die Magenschafft.

38. Communia omnium fere generum cognationis naturalis fricte dictae seu consanguinitatis sunt (1. proximitas, (2. alimentatio, (3. educatio.

39. Proximitas accipienda in genere, qua alter altero proximior et magis cognatus est, quod per lineas et gradus exploratur. T. J. DE GRADIBVS COGNATIONVM III. 6. T. D. DE GRADIBVS ET AFFINIBVS ET NOMINIBVS EORVM. XXXVIII. 10.

40. Linea est series personarum ab uno stipite descendendum.

41. Gradus est distantia duarum personarum, per generationem contracta. l. 10. §. 10. de grad.

42. Linea est duplex, recta et collateralis.

43. Recta linea est series personarum una linea ab uno stipite et sic descendendum, ut una persona ab altera sit generata.

44. Collateralis linea est series personarum diuersa linea

nea à communi stipite et sic descendentium, ut ab illis in altera linea generatae non sint.

45. Hoc amplius *recta* linea in *adscendentem* et *descendentem* subdividitur.

46. *Ascendens* linea est series personarum, à quibus is, de cuius cognatione quaeritur, generatus est. l. 10. §. 9. de grad.

47. *Descendens* linea est series personarum, quae ab eo, de cuius cognatione quaeritur, generatae sunt.

48. Similiter *collateralis* linea in *aequalem* et *inaequalem* subdividitur.

49. *Aequalis* linea est, quae tot habet gradus, quot altera, sic ut in utraque linea seu in utroque latere gradus sint pares.

50. *Inaequalis* linea est, quae plures uel pauciores gradus habet, quam altera, sic ut gradus in utraque linea seu in utroque latere non sint pares.

51. Quod si lineae sic inaequales sunt, ut in altera unus gradus sit, atque sic persona altera ex iis, de quarum cognatione quaeritur, immediate communi stipiti subsit, *respectus parentelae* appellatur.

52. In specie proximitas cognationis alia *linearum* est, alia *graduum*, alia *mixti generis*.

53. *Linearum* proximitas est, qua quis in linea est ei, de cuius cognatione quaeritur, propiori, sine respectu ad gradum.

54. *Graduum* proximitas est, qua quis gradu propior est ei, de cuius cognatione quaeritur, sine respectu ad lineas.

55. *Mixti generis* proximitas est, qua quis gradu proximior est in linea proximiori.

56. Linearum proximitas indagatur numeratione linearum, in proximo communi stipite concurrentium, positus personis in pari gradu constitutis secundum natiuitatis prioritatem.



57. Graduum proximitas exploratur per graduum in lineis numerationem, quae *computatio graduum* appellatur.

58. *Computatio graduum* est duplicis generis, una J. Romani, quae *civilis*, altera J. Canonici, quae *canonica* appellatur.

59. Differentia utriusque computationis consistit circa lineam *collateralem* in eo, quod *civilis* gradus ex utroque latere, *canonica* gradus ex uno latere, eoque longiore, numerantur. *con. 2. caus. 35. qu. 5. c. 3. et 9. X. de consangu. et affin.*

60. In linea *recta* utraque computatio in effectu coincidit, licet diuersae regulae numerandi gradus tradi soleant.

61. *Civilis* computationis haec regula traditur: *Quot sunt generationes, tot sunt gradus, ex l. 10. §. 9. et 10. de grad. et affin. §. 7. J. de grad. cognat.*

62. *Canonicae* computationis haec regula traditur: *Quot sunt personae generantes uel generatae, tot sunt gradus, dempta una, uel dempto stipite, ex dd. tt. in posf. 59. b. C.*

63. Contra in linea *collaterali* regulae computationis *canonicae* et *civilis* uti uerbis, sic effectu distinctae sunt.

64. *Civilis* computationis eadem fere regula est, quae in linea *recta*: *Quot sunt generationes in utroque latere, tot sunt gradus.*

65. *Canonicae* computationis ( $\alpha$ . in linea aequali) regula haec est: *Quoto gradu alterutra persona ex illis, de quarum cognatione quaeritur, distat à communi stipite, toto gradu illae personae distant inter se. d. c. 2. c. 35. qu. 5.*

66. ( $\beta$ . In linea inaequali) regula est haec: *Quoto gradu remotior persona ex illis, de quarum cognatione quaeritur, distat à communi stipite; toto gradu illae personae distant inter se. d. c. 3. et 9. X. de consanguin.*

67. *Alimentatio* accipienda, qua cognati sibi inuicem alimenta praestare debent, cum se quisque ipsum exhibere non potest. *Z. D. DE AGNOSCENDIS ET ALENDIS LIBERIS VEL*

PAREN-

PARENTIBVS, VEL PATRONIS, VEL LIBERTIS, *XXV. 3. Z. C. DE ALIENIS LIBERIS AC PARENTIBVS. V. 25.*

68. *Alimenta* sunt duplicis generis, *ciuilia* uel *naturalia*.

69. *Ciuilia* sunt, quae ampliorem in modum praestantur, habito in primis ad facultates respectu.

70. *Naturalia* sunt, quae natura ad uitae sustentationem necessario requirit.

71. Utriusque generis alimenta non tantum esum potumque, et amictum, uerum etiam habitationem et disciplinam atque artem, sed intra modum, respiciunt. *l. 6. de alim. uel cib. leg. l. 4. ubi pupill. educ. l. 12. §. 3. de admin. tut. l. 43. et 44. de V. S. l. 5. §. 12. de agnosc. uel al. lib.*

72. In dubio, et ubi simpliciter de alimentis sermo est, alimenta *ciuilia* intelliguntur.

73. Praestanda sunt alimenta (1. liberis à parentibus, (2. parentibus à liberis, (3. cognatis reliquis à cognatis.

74. *Liberis à parentibus* alimenta debentur suo ordine, nempe (1. à patre, mox à tempore natiuitatis liberorum. *a. l. 5. §. 1. et 6. de agnosc. uel al. lib. j. l. 9. C. de patr. pot. HAHN. ad W. t. de agnosc. n. IV. ad uerba: praesertim triennio maiores.*

75. Quod (1) *ampliatur, etiam si* (2. *liberi emancipati* sunt. *l. 5. §. 1. de agnosc. uel al. lib.*

76. (3. *Liberi naturales* sunt, uel etiam *incestuosus* aut *adulterini* uel *ingrati*, quod sc. ad naturalia alimenta attinet. *Nov. 89. c. 12. §. 4. et 6. et c. ult. j. N. 12. c. 2. et l. 4. de agnosc. uel al. lib.*

77. Quod de *J. Canonico* et *hodierno* dubio uacat, ne tales liberi reipublicae magis, quam parentibus onerosi sint, imo est de spuriis etiam et alimentis *ciuilibus* accipiendum. *c. 5. inf. X. de eo, qui duxit in matr. C. El. Sax. 27. P. 4. SCHILT, Ex. 36. §. 124.*

78. (γ. Mater tantisper alimenta liberis praebet: nam haec à patre repetere potest, inde à tempore natiuitatis *l. 5. §. 14. de agnosc. uel al. lib.* CARPZ. 2. 10. 24.

79. (2) Limitatur, modo liberi non ipsi habeant, unde uiuant. *l. 5. §. 7. de agnosc. uel al. lib.*

80. (2. Ab auo et reliquis *adscendentibus paternis. a. l. 5. §. 2. l. 8. de agnosc. uel al. lib.*

81. Quod *ampliatur* (α) ex *J. Romano*, ut mater etiam ab auo uel proauo alimenta liberis praestita repetere possit. *d. l. 5. §. 14. de agnosc. uel al. lib.* STRYCK. *Diff. de iure auor. c. 2. n. 62.*

82. (β) Ex *J. hodierno*, ut auus etiam nepotem illegitimum alere, matrique alimentorum impendia restituere teneatur. CARZ. 2. 10. 20. STRYCK. *d. l.*

83. Quod accipiendum, si mater inops sit, nec sibi filioque alendo sufficiat *Dn. WERNHER. Vol. 1. O. F. 134.*

84. (3. A matre (α. si liberi *legitimi* sunt, in *subsidium*, quando pater uel *adscendentes* paterni deficiant, id est, uel mortui sunt, uel egestate laborant. *l. 5. §. 4. et 25. l. 8. de agnosc. uel al. lib. Nou. 117. c. 7.*

85. (β. Si liberi *illegitimi* sunt, statim. *l. 5. §. 4. de agnosc. uel al. lib.*

86. Quod *hodie* secus, secundum ea, quae modo dicta, sic ut inter legitimos et illegitimos liberos non sit differentia, intellige quod ad patrem, non quod ad auum paternum.

87. Modo pater, seu qui pro patre à stuprata habetur, non probet, alios quoque cum stuprata rem habuisse. CARPZ. *L. 2. D. 232.*

88. Interim, donec probatio absoluitur, alimenta infanti praebere debet, modo tantum temporis inter concubitum et partum intercesserit, ut nasci ex eo concubitu proles potuerit. *Dn. WERNH. Vol. 1. For. Obs. 63.*

89. Quod



89. Quod tempus nec infra VII. mensem esse, si par-  
tus perfectus est, nec supra X. uel principium XI. esse debet.  
*a. l. 12. de stat. hom. l. 3. §. 10. de suis et leg. hered. Nou. 39. c. 2.*  
*Diff. WERNH. d. l.*

90. Utroque casu, siue liberi legitimi sint, siue illegi-  
timi, cessat obligatio matris ad alendum, quando liberi ipsi  
facultates habent, quibus se exhibere possunt. *a. l. 5. §. 7. de*  
*agnosc. uel al. lib.*

91. Modo non mater nihilominus alimenta liberis lo-  
cupletibus praestiterit, citra animum repetendi, uel eius de-  
clarationem. *l. 34. D. et l. 11. C. de negot. gest.*

92. Quae declaratio fit (α. per protestationem, ean-  
demque ab initio interpositam. *dd. ll. j. CARPZ. 2. 10. 22.*

93. (β. Eo, quod mater in libro rationum familiarium  
filium debitorem pro alimentis, quae ei praestitit, scripsit.  
*d. l. 34. CARPZ. d. l. D. 23.*

94. (γ. Ab auo et reliquis ascenduntibus maternis, se-  
cundum gradus proximitatem, quando mater aut defuncta  
est, aut alendis liberis non sufficit. *l. 5. §. 5. de agnosc. uel al. lib.*  
*CARPZ. d. l. D. 21. n. 3. et seqq.*

95. Parentibus à liberis alimenta praestanda sunt ex  
natura correlatorum, quando parentes se ipsos exhibere  
non possunt, et liberi habent, quod sibi et parentibus alen-  
dis sufficit. *d. l. 5. §. 3. et 25. de agnosc. d. Nou. 117. c. 7.*

96. Etiam si (α. liberi tantum naturales sunt, seu ille-  
gitimi, uel etiam incestuosi aut adulterini, ad minimum *J.*  
*hodierno. v. HAHN. ad W. d. l.*

97. (β. Liberi sunt milites. *l. 5. §. 15. de agnosc. uel al.*  
*lib.*

98. (γ. Parentes ob delicta relegati uel impii sunt. *l. 79.*  
*§. 1. de iur. dot. Nou. 12. c. 2.*

99. Praestanda alimenta à liberis, si plures extent diuersi gradus, secundum gradus proximitatem.

100. *Cognatis reliquis à cognatis* praestanda sunt alimenta eodem ordine, quo inter cognatos successio ab intestato locum habet, in quo una ratio obligationis ad praestanda alimenta, altera in sanguinis communiōe sita est. *l. 5. §. 2. de agnosc.*

101. Unde (1) in primis fratres et sorores se inuicem exhibere debent. *a. l. 13. §. 2. de admin. tut. l. 1. §. 2. de tut. et rat. distrab. CARPZ. 2. 10. 19. et L. 4. R. 59. n. 11-13.*

102. (2) Reliqui cognati ad praestanda egenis cognatis alimenta obligantur secundum gradus proximitatem. *a. N. 118. c. 4. et 5. CARPZ. d. R. 59. n. 16.*

103. (3) Agnationis et cognationis differentia non attenditur, ne quidem in Saxonia. *a. d. N. 118. c. 4. et 5. j. CARPZ. d. R. 59. n. 21. et seq.*

104. (4) Qui ex cognatis onus alendi sine iusta causa recusat, ius successionis ab intestato amittit, sed sic, ut eo ab onere alendi non liberetur. *v. Nov. 115. c. 3. §. 12. et 13. CARPZ. L. 4. R. 61.*

105. Infantes expositiui, *Zindel Rinder* / à magistratu eius loci, in quo inueniuntur, superiori, *der die Obero Gerichte hat* / alendi sunt. *CARPZ. Qu. 10. n. 25. et seq.*

106. Nisi hoc vel illo loco aliud consuetudine introductum. *SANDIVS l. 2. t. 8. d. 4.*

107. *Educatio* accipienda, qua cognatorum educatio ad cognatos pertinet.

108. *Cohaeret regulariter* cum alimentatione, quia haec si cum educatione coniuncta, facilioribus sumtibus fieri potest.

109. *Accedit ampliatio*, etiam si qui alit, pater tantum uel auus naturalis seu illegitimus est.

110. Non cohaeret educatio cum alimentatione (1. quando qui educandus, alimenta quidem ab alio accipit, sed is, quo minus eidem educatio relinqui possit, sinistra opinione premitur.

111. Vnde factio diuortio liberi ex matrimonio suscepti educantur apud matrem, quando pater causam diuortio dedit, licet idem sumtus alimentationis ferat. *Nov. 117. c. 7. T. C. DIVORTIO FACTO APVD QVEM LIBERI MORARI VEL EDVCARI DEBEANT. V. 24.*

112. Non tamen contra, quando mater causam diuortio dedit, si eadem ob patris egestatem liberis alimenta suppeditare cogitur, liberi apud patrem educantur. *d. N. c. 7.*

113. Quod utrumque hodie ad separationem à thoro et mensa applicandum. *CARZ. Dec. 291.*

114. Praeter casus expressos quae sit sinistra opinio et causa sufficiens ad adimendam educationem, iudex arbitratur. *l. un. C. diuortio factio apud quem lib. mor.*

115. (2. Quando is, qui educandus, à nemine alimenta accipit, sed ipse facultates habet, quo casu (α. *si contentio de eo, ubi educandus, nulla est,* educatio committenda (1) patri, si adhuc uiuit.

116. (2) *Matri*, quamdiu à secundis nuptiis abstinet. *l. 1. C. ubi pupilli educ. deb. Nov. 22. c. 38.*

117. Qua parte tamen *hodie*, si mater ad secundas nuptias accesserit, non exclusum iudicis arbitrium esse DD. uolunt. *CARPZ. 2. 11. 43.*

118. (3) Reliquis cognatis pro gradus proximitate, non excluso tamen iudicis arbitrio.

119. (β. *Si contentio est de eo, ubi educandus,* iudicis arbitrio relictum, causa in praesentia propinquorum cognita, educationem committere, cui uelit. *l. 1. D. et l. 1. C. ubi pupill. educ.*

120. In qua causae cognitione id spectandum, à quo eorum, qui de educatione contendunt, maligna suspicio longissime absit. *d. l. 1. §. 1. D. ubi pupill.*

121. Maligna suspicio accipienda non solum de infidiis uitae ob spem successionis, sed etiam pudicitiae, uel de detrimento tantum bonorum. *d. l. 1. l. 5. D. l. 2. C. d. t. ubi pupill.*

122. Imo *hodie* inprimis etiam religionis ratio habenda, ne committatur ei educatio, à quo periculum est ne pupillus ad falsam religionem seducatur. SCHILT. *Ex.* 37. §. 163.

123. Causa cognita iudex pro re nata etiam à paterna dispositione recedere potest. *l. 1. §. 1. ubi pupill. educ.*

124. Itemque eum, qui educationem suscipere recusat, ad eam cogere potest, siue denegatione actionis ex testamento, si heres uel legatarius est, ob ipsam educationem talis factus, siue alio modo. *d. l. 1. §. 2. et 3. ubi pupill.*

### CAP. XIII.

DE

### AFFINITATE.

1. *Affinitas* est coniunctio personarum, copula carnali inter uirum et mulieris consanguineos, et inter mulierem et uiri consanguineos contracta. *l. 4. §. 3. de grad. §. 8. de nupt.*

2. Diuiditur (1. similiter ut cognatio, in *ciuilem*, quae hominum liberorum, et *seruilem*, quae seruorum est. *l. 14. §. 3. de R. N.*

3. (2. In *legitimam* et *illegitimam*, quarum illa similiter,

ter, ut cognatio, etiam *plena* et *propria*, haec *minus plena* et *impropria*, item *Canonica*, appellatur.

4. *Legitima* affinitas est, quae iustis nuptiis seu legitimo matrimonio, (inter seruos contubernio) contracta est. *l. 4. §. 8. de grad. et affin.*

5. *Illegitima* affinitas est, quae extra iustas nuptias seu legitimum matrimonium, inter seruos contubernium, per concubitum contracta est. *l. 4. C. de nupt. c. 6. et p. X. de eo, qui cognou. consangu. ux. suae.*

6. (3. *In ueram et quasi talem.*

7. *Vera* affinitas est, quamdiu nuptiae durant. §. 9. *J. de nupt.*

8. *Quasi affinitas* nuptiis uel *solutis*, ut inter eum, qui maritus fuit, et uxoris filiam post diuortium ex alio procreatam, uel *futuris*, ut inter patrem et filii sponsam, contrahitur. *d. §. 9.*

9. (4. *In primum, secundum, et tertium genus.*

10. *Primum* genus affinitatis contrahitur una copula, inter coniugem et alterius coniugis consanguineos.

11. *Secundum* genus contrahitur duplici copula, inter personas affines primi generis et earum uxores uel maritos.

12. *Tertium* genus contrahitur triplici copula, inter personas affines secundi generis et earum uxores uel maritos.

13. Inter consanguineos utriusque coniugis nulla est affinitas, nec inter consanguineos eorum, qui sibi affines sunt in secundo uel tertio genere affinitatis, nec inter maritum et uxorem.

14. Affinitatis nullae propriae lineae uel gradus sunt, sed *in qua linea et in quo gradu consanguinei unius coniugis ei-*

*dem coniuncti sunt consanguinitate, eadem in linea, eodemque in gradu coniuncti sunt alteri coniugi affinitate.*

15. *Et hoc amplius qua in linea, et quo in gradu affinis in primo genere affinitatis constitutus est, ea in linea, eoque in gradu est affinis in secundo, et qua in linea et quo in gradu affinis in secundo genere est, ea in linea et eo in gradu affinis est in tertio genere affinitatis.*

16. *Unde suo modo alia linea affinitatis recta, alia obliqua seu collateralis, et recta alia adscendens, alia descendens est, diciturque potest.*

17. *In linea recta affinitas Germanis Schwieger, uel Stief-Freundschaft/ in linea collateralis Schwäger-schaft uocari solet.*

#### CAP. XIV.

DE

### COGNATIONE CIVILI.

1. *Cognatio civilis, quae naturali opponitur, definita iam est supra.*

2. *Diuiditur in spirituales et civilem in specie dictam.*

3. *Spiritualis cognatio est coniunctio personarum, quarum una alteram ex sacro baptismatis fonte suscepit. l. 26. C. de nuptiis.*

4. *Civilis in specie dicta cognatio est coniunctio personarum per adoptionem.*

5. *Spiritualis cognatio iure Canonico latius extensa, et imprimis triplex facta est, paternitas, compaternitas, fraternitas.*

6. Pa.

6. *Paternitas* inter baptizantem et baptizatum, item inter baptizatum et patrinum contrahitur.

7. *Compaternitas* inter patrem et matrem baptizati ex una, et baptizantem atque patrinum ex altera parte contrahitur.

8. *Fraternitas* inter baptizatum et filios naturales baptizantis atque patrinorum contrahitur. Conf. *T. Decretal. de spirit. cognat.* LANCELLOT. *J. I. C. l. 2. t. 13. §. 1. et 3.* ZIEGL. in *Comment. ad §. 1.*

9. *Adoptio* in civili cognatione in specie dicta accipienda de eo genere adoptionis, quae patriam potestatem operatur. *a. §. 2. J. de nupt.*

10. Cognatio, quae per adoptionem fit, accipienda de eo genere cognationis, quae in specie *agnatio* appellatur *l. 12. §. 4. de R. N. l. 23. de adopt.*

11. Unde (*a.*) adoptivus filius patri et omnibus eius agnatis adgnascitur, iisdemque, quando ex agnatis cognati facti, cognatus fit, matri, seu patris adoptivi uxori, eiusque cognatis cognatus non fit. *d. l. 23. de adopt. l. 1. §. 4. unde cognati.*

12. (*β.*) Cognatio adoptione contracta iisdem modis, quibus agnatio, perimitur, licet effectus prohibitionis nuptiarum interdum maneat. *§. 1. et 2. J. de nupt.*

CAP. XV.

DE

ACTIONIBVS EX STATV COGNATIONIS DESCENDENTIBVS.

1. Ex statu cognationis oritur I. actio *praedicialis*, quae in specie actio *cognationis* dici potest.

2. Di-

2. Diuiditur in actionem *paternam* seu *paternitatis*, *filiationis* seu *filiationis*, *fraternitatis* et *cognationis* in specie dictam.

3. Quaelibet ex his rursus est (1. *simplex* seu *absoluta*, uel *qualificata* seu *respectiua* (2. *affirmatoria* uel *negatoria*).

4. Actio *paterna* seu *paternitatis* (1. *simplex* (α. *affirmatoria*) competit parentibus contra liberos, qui se tales esse negant, ad hoc, ut pro liberis declarentur.

5. (β. *Negatoria*) competit iis, qui parentes non sunt, contra eos, qui se pro liberis illorum gerunt, ad hoc, ut liberi non esse declarentur.

6. (2. *Qualificata*) competit parentibus, qui certo respectu tales sunt, naturales puta, uel adoptiui, aut uitricus uel nouerca, contra liberos, qui certo respectu tales sunt, naturales itidem, uel adoptiui, aut priuignus uel priuigna, α) sed se pro aliis gerunt, quam sunt, ad hoc, ut pro talibus, quales iure sunt, declarentur.

7. Actio *filialis* seu *filiationis* (1. *simplex* (α. *affirmatoria*) competit liberis contra parentes, qui se tales esse negant, ad hoc, ut pro parentibus declarentur.

8. (β. *Negatoria*) competit iis, qui liberi non sunt, contra eos, qui se pro parentibus gerunt, ad hoc, ut non esse parentes declarentur.

9. (2. *Qualificata*) competit liberis naturalibus uel adoptiuis, aut priuigno uel priuignae, contra parentes naturales, uel adoptiuos, aut uitricum uel nouercam, qui se pro aliis parentibus, quam iure sunt, gerunt, ad hoc, ut pro talibus, quales iure sunt, declarentur.

#### 10. Actio

α) Non uero filii familias uel sui iuris. Nam quatenus patria potestas spectatur, pertinet actio paterna seu paternitatis perinde ac actio filiationis ad statum familiae strictissime dictum. Vid. supra Cap. XXXV.



10. Actio *fraternitatis* (1. *simplex* (α. *affirmatoria* competit fratribus uel fororibus contra fratres uel sorores, qui se tales esse negant, ad hoc, ut pro fratribus uel fororibus declarentur.

11. (β. *Negatoria* competit iis, qui fratres uel sorores non sunt, contra eos, qui se pro illorum fratribus uel fororibus gerunt, ad hoc, ut tales non esse declarentur.

12. (2. *Qualificata* competit iis, qui fratres sororesue germani, uel consanguinei, uterini, primogeniti, nobiles sunt uel non sunt, contra eos, qui illos pro aliis habent, uel se pro aliis gerunt, quam iure sunt, ad hoc, ut pro talibus, quales iure sunt, declarentur.

13. Actio *cognitionis* in specie dicta (1. *simplex* (α. *affirmatoria* competit cognatis contra cognatos, qui se tales esse negant, ad hoc, ut pro cognatis declarentur.

14. (β. *Negatoria* competit iis, qui cognati non sunt, contra eos, qui se pro talibus gerunt, ad hoc, ut non esse cognati declarentur.

15. (2. *Qualificata* competit cognatis senioribus, nobilibus, proximioribus, agnatis, et sic porro, contra eos, qui illos pro talibus agnoscere recusant, uel se pro talibus non iure gerunt, ad hoc, ut pro talibus, quales iure sunt, declarentur.

16. Probatur paternitas, filiatio, fraternitas, cognatio uel *uere*, uel *praesumptiue*.

17. *Vere* probatur ex parte *foeminarum*, ex quibus quis natus esse dicitur, per obstetrices, uel alios testes.

18. *Praesumptiue* probatur ex parte *masculorum*, ex quibus quis natus esse dicitur, probato legitimo eorum cum feminis matrimonio, uel concubitu cum illis extra matrimonium facto. *l. 6. de his qui sui. l. 5. de in ius uoc.*

19. Onus probandi incumbit ei, qui affirmat paternita-

H

nita-

nitatem, filiationem, fraternitatem, cognationem, nisi sit in eius possessione *a. l. 7. §. ult. de liberali causa. j. l. 2. de probat.* MENCK. *Tabb. ad D. p. 358.*

20. II. Actio alimentaria, eaque (*a. directa*, qua liberi contra parentes, uel parentes contra liberos, uel alii cognati contra cognatos experiuntur, ad alimenta consequenda. *l. 5. §. 10. de agnosc. uel al. lib. l. 5. C. de patr. potest.*

21. Tam liberi, quam parentes et cognati accipiendi sunt generaliter, siue legitimi sint, siue naturales, *b)* secundum ea, quae *Cap. praeced.* dicta.

22. Con-

*b)* Quod de liberis et parentibus certum; de reliquis cognatis collateralibus idem asserendum, propter rationis paritatem, quae in sanguinis communiione et iure succedendi ab intestato consistit, secundum ea, quae dicta *pos. 100. Cap. praeced.* maxime si de cognatis stricte dictis, seu ex linea materna cognatis, sermo sit, in quibus utraque ratio concurret. Nam liberi naturales et mater eorum atque huius cognati sibi invicem ab intestato succedunt. At non desunt, qui argumentum a communiione sanguinis et iure succedendi ab intestato desumptum pro absurdo reputantes ob legis defectum nullum onus alimentandi iure perfecto seu actionis collateralibus incumbere, et ne quidem à debito dotis uel legitimae extra lineam rectam argumentum duci posse, sed collateralibus alimonia non nisi iure imperfecto, ut aliis egenis eleemosyna, et siquid amplius dicendum, tantum prae aliis, deberi statuunt, uel certe contrariam sententiam ad extremam necessitatem, uel ad fratres et sorores, aut eos, qui parentum loco sunt, restringunt. Conf. *B. à LYNCKER Tom. II. Resp. 156.* qui ipse simpliciter negat, collateralibus onus alimentandi incumbere. Et sane, si dicendum quod res est, nemini dicam scribam, qui hanc sententiam pro ueriori, illam uero, quam supra ex Carpzouio repraesentauimus, pro communiore habuerit.

22. Contra affines tamen haec actio institui non potest, quia affines ad alendum plane non tenentur. COLER. *de aliment. l. 1. c. 4. et c. 12.*

23. E contrario affinis sumtus alimentorum repetit actione negotiorum gestorum, etiamsi animus de repetendo declaratus non fuit. *B. à LYNCKER Dec. 765.*

24. Neque enim praesumuntur ex pietate, atque sic animo donandi facti, ne quidem in uitrigo. *B. à LYNCKER d. Dec. et Dec. 1254.*

25. Si mater alimentorum nomine, quae partui, seu legitimo, seu illegitimo, debentur, transegit, partus ipse alimenta integra postulare potest. *a. l. 1. §. 8. et 10. de agnosc. et alend. lib.*

26. Filia etiam ex concursu creditorum super bonis patris alimenta petit, donec dotem matris ex illo concursu accepit, etiamsi alimenta fructus dotis excedant. *B. à LYNCKER Dec. 756.*

27. (*β. Vilis*, quae matri competit contra patrem uel auum partus, quem edidit, ad hunc partum alendum.

28. Quae actio utilis *hodie* non potest non indistincte locum habere, siue partus ex legitimo matrimonio, siue extra illud, procreatus sit, secundum ea, quae iam dicta. *Conf. STRYCK. U. M. II. Tit. de agnosc. uel al. lib. §. 2.*

29. Petuntur alimenta una cum eo, quod interest ratione morae. *B. a LYNCKER Dec. 765, Dn. WERNHER. Vol. 6. P. 9. Obf. 238.*

30. Si alimenta semel ob cognationem promissa, uel per sententiam iniuncta, actio alimentaria amplius locum non habet, (nisi forte utilis) sed imploratio officii iudicis instituenda, ad alimenta reapse consequenda. *c)*

H 2

31. Si

*c)* Nam iam non disputatur, an alimenta debeantur, an non, sed negligentia tantum debitoris in exolvendo arguitur. Quodsi

31. Si alimenta annuatim uel singulis mensibus, et sic porro, promissa uel iniuncta, imploratio officii iudicis principio cuiusuis anni, mensis, uel similis spatii institui potest, ad alimenta illa consequenda. *d) Dn. à BERGER Oecon. Jur. p. 151. n. 9.*

32. Nisi ad certos cuiusuis anni terminos expresse restricta sint, ubi imploratio ante terminum locum non habet. *B. à LYNCKER Dec. 884.*

33. Qua parte tamen si stuprata eiusmodi terminos acceptauit, partui suo praeiudicare non potuit, sed hicce perinde ac si alias in alimentis laesus, suo iure agere, et alimenta ab initio cuiusuis anni petere potest. *a. l. 1. §. 8. et 10. de agnos. et al. lib.*

34. Si alimenta ad certum usque tempus promissa, uel per sententiam v. c. stupratori, iniuncta, et partus illegitimus ante illud tempus decessit, mater ratione reliqui temporis nulla alimenta exigere potest. *CARPZOV. Qu. Crim. 68. n. 113.*

35. Illud uero retinet, quod de alimentis illius anni, mensis, uel similis spatii, quo partus decessit, superest. *arg. l. 4. C. de usur. l. 1. pr. D. quib. mod. pignus solu.*

36. Quodsi alimenta ad certos terminos restricta sunt, ut demum sub fine eorum accipiantur, et alumnus ante terminum decessit, heredes post terminum lapsum alimenta

---

vero casus sic contingeret, ut mortuo patre, qui haec tenus alimenta praestitit, agendum esset contra auum, qui se obligatum ad alendum nepotem esse negat, actio alimentaria instituenda omnino foret.

*d)* Nam alimentorum specialis est ratio, cum currente anno uel alio spatio alumnus de uento uiuere non possit. Alias uero quod annuatim debetur, in fine anni praestari sufficit.

menta pro rata temporis exigunt. *B. à LYNCKER Dec. 884.*

37. Praescribitur actioni alimentariae non nisi quoad singulos terminos, intra quos alimenta, seu sub initio, seu sub fine, praestanda, sic ut ad quemlibet terminum noua praescriptione opus sit. *l. 7. §. 1. C. de praescript. 30. uel 40. annor.*

38. Praescriptio intelligenda est 30. uel 40. annorum, in Saxonia cum additamento. *l. 3. C. de praescript. 30. uel 40. ann. Auth. Quas actiones C. de SS. eccles. SVRDVS de aliment. T. 1. qu. 42. n. 91. §. 99.*

39. Quodsi alimenta extra statum cognationis debentur, v. c. ex testamento, non hac alimentaria, sed alia actione, v. c. ex testamento, petuntur.

40. Imo habito etiam licet non verbis, tamen re ipsa, ad statum cognationis respectu, malunt alii plerisque in casibus non actionem, sed implorationem officii iudicis concedere, quae tamen quoad effectum cum actione nostra alimentaria coincidit. Vid. late SVRDVS *de alimentis tot. tit. 30. Add. pos. 30. b. Cap.*

41. III. Actio *de partu agnoscendo*, qua mater contra patrem partus uel auum, aut horum heredes, experitur, ad hoc, ut partum pro suo, uel ex filio, aut pro concepto ex defuncto marito, agnoscant. *l. 1. §. 4. l. 3. §. 2. de agnosc. uel al. lib. e)*

H 3

42. Nam

e) Videtur haec actio eadem esse cum *praeiudiciali*, de qua superius *b. Cap. pos. 7.* actum, et vocari posse *praeiudicialis utilis*, sicuti *utilem alimentariam* diximus in *pos. 27. b. Cap.* Sed cum mater hanc actionem non solius filii, sed etiam sui ipsiusmet causa instituat, ut ipsa partim ab alimentandi onere, partim ab adulterii suspitione liberetur, magis est, ut hanc actionem de partu agnoscendo à *praeiudiciali*, quam ipse partus instituit, distinguamus.

42. Nam nihil interest, partus in matrimonio, siue post matrimonium, et quidem uel facto diuortio, uel post mortem mariti, editus fuerit. *l. 3. §. 1. d. t. de agnosc.*

43. Modo (1. eo casu, cum post diuortium editus, mater intra triginta dies continuos a diuortio, ei, qui maritus fuit, legitime denunciauerit, se ex eo praegnantem esse, et si quos ille custodes uentris misit, eos admiserit. *l. 1. §. 1. 9. et 9. d. t. de agnosc.*

44. Quae denunciatio hodie cessat, cum processus diuortiorum ultra annum soleant durare, et actio de partu agnoscendo etiam stupratae contra stupratorem concedatur. STRYCK. *U. M. II. Tit. de insp. uentre. §. 1.*

45. Licet plerumque cum alimentaria actione, à qua per se distincta est, coniungi et possit, et soleat.

46. (2. Eo casu, cum partus post mortem patris editus, uidua (α) heredibus mariti bis in mense denunciauerit, se praegnantem esse, ut mittant, si uelint, quae uentrem inspiciant.

47. (β) Intra 30. dies ante partum iisdem denunciauerit, partus tempus appropinquare, ut mittant, si uelint, qui uentrem custodiant. *l. 1. §. 10. et 7. T. D. DE INSPICIENDO VENTRE CUSTODIENDOQUE PARTU. XXV. 4.*

48. Mittebantur quinque obstetrices, quae omnes simul inspiciebant, sed tangere uentrem inuita muliere non licebat. *d. l. 1. §. 10. de insp. uentre.*

49. Similis inspectio fiebat casu inuerso, cum mulier post diuortium se praegnantem esse negabat, sed à tribus duntaxat obstetricibus. *l. 1. pr. d. t.*

50. Si inspectio facta, et mulier grauida deprehensa erat, mittebatur, si uellet, in possessionem bonorum uentris

tris nomine. *arg. t. Tit. D. si uentris nomine muliere in poss. missa.*  
*et T. si mulier uentris nom.*

51. Qua parte hodieque edictum praetoris de uentre inspiciendo utilitatem habere, v. c. cum uidua nobilis praegnantem se ex defuncto marito ait, et uentris nomine cupit in feudaliū bonorum possessionem mitti, asserit HAHN. *ad Wesf. d. t. de inspic. uentre. n. un.*

52. Quod ita temperat STRYCKIUS, ut quae de denunciatione et forma inspiciendi J. Romano habentur, hodie non praecise obseruentur, sed sufficiat simplex notificatio iis facta, ad quos ea res pertinet, ne forsā bona defuncti occupent, nec necessarium sit, ut mulier se simul ad inspectionem offerat. *U. M. II. d. t. §. 1.*

53. Quodsi mulier, quae uentris nomine in possessionem missa, eandem dolo malo in alium transtulit, ad id, quod interest, tenetur. *l. 1. §. 1. et t. T. D. SI VENTRIS NOMINE MULIERE IN POSSESSIONEM MISSA EADEM POSSESSIO DOLO MALO AD ALIUM TRANSLATA ESSE DICETVR. XXV. 5.*

54. Idem dicendum, cum mulier per calumniam se praegnantem dixit, eoque obtinuit, ut in possessionem mitteretur. *l. un. §. 4. et t. T. D. SI MULIER VENTRIS NOMINE IN POSSESSIONE CALVMNIAE CAUSA ESSE DICETVR. XXV. 6.*

55. Solet et aliis casibus, praesertim *hodie*, inspectio uentris fieri, puta si innupta de graviditate uel partu edito suspecta sit, uel de uirginitate, aut sexu, aut habilitate ad matrimonium dubitetur, sed hi casus ad hunc locum non pertinent. *Ord. Crim. art. 35. STRYCK. U. M. II. d. l. §. 1. et 2.*

56. Alimenta liberis praestita mater à patre uel ao repetit, (a. actione *in factum*, uel ex *L. Aquilia*, quando pater uel auus dolo uel culpa causam dedit, ut mater alimento-

mentororum impendia faceret. *l. 12. §. 6. l. 13. pr. de liberal. causa.*

57. (3. *Actione negotiorum gestorum*, quando pater uel auus absens fuit, nec eo sciente uel dissentiente alimenta ipsius nomine liberis praestita sunt. *a. l. 34. de neg. gest.*

58. IV. *Imploratio officii iudicis* ratione educationis liberorum uel cognatorum, competens pro re rata patri uel matri, uel aliis cognatis, ad decernendum, ut apud se potius, quam apud alios educari debeant. *l. un. C. diuortio facto apud quem liberi. ibi: competens tamen iudex aestimabit.*

59. Caeterum adhuc obseruandum, liberos uel cognatos, de quorum educatione uel alimentatione quaeritur, speciatim uel *pupillos esse*, et in tutorum potestate, uel *non pupillos*, sed in patria potestate, ut nati ante uel post diuortium.

60. De illis agitur in Tit. D. *ubi pupillus educari uel morari debeat*, et de alimentis ei praestandis, Tit. C. *ubi pupilli educari debeant*, et Tit. C. *de alimentis pupillo praestandis*, de his in Tit. D. *de agnoscendis uel alendis liberis*, T. C. *Diuortio facto apud quem liberi morari uel educari debeant*, et Tit. C. *de alendis liberis ac parentibus.*

61. *Priores* tituli ad statum tutelarem pertinent, et suo tempore, cum ad statum illum peruentum erit, recurrent, uel certe mixtam ex statu tutelari et cognationis conditionem habent.

62. *Posteriores* ad statum cognationis unice pertinent, ut tamen ex illis subinde explicationem uel illustrationem recipiant.



mc



s  
ri  
e  
o  
-  
-  
i-  
el  
ft  
  
el  
-  
f,  
i-  
it.  
  
no  
at,  
o-  
  
nt,  
m

1





K 1206 f

vo 18

ULB Halle

3

007 412 24X





Q. D. B. V.

# CURSUS JURIS

SEU

JURISPRUDENTIÆ UNIVERSÆ  
IN ARTEM REDACTÆ

EJUSDEMQUE

PARTIS CIVILIS

O V.

MILIAE

TUNGIO.D.  
GRAVII HASSO.  
D, ET PROF.

UM  
A.

lleri.

